



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Oliverii Florentii Waterloop Congreg. Oratorii B. Mariae
Aspricol. Presbyteri Monita Spiritvalia Et Moralia
Tetrastichis distincta**

Waterloop, Oliverius F.


Antverpiae, 1657

urn:nbn:de:hbz:466:1-9689

57

Th. 2657.

j. 17
19.



OLIVERII FLORENTII
VVATERLOOP
CONGREGATIONIS ORATORII
B. MARIÆ ASPRICOLLENSIS
PRESBYTERI
MONITA SPIRITVALIA
ET MORALIA,
TETRASTICHIS DISTINCTA.

OLIVIERI FLORENTINI
 VITA FERDINANDI
 CONGRÉGATIONIS GÉNÉRALIS
 S. MARIE AUX MINES
 PRESS. DE LA BIBLIOTHÈQUE
 NATIONALE
 DE FRANCE
 ET MORILLON
 ÉDITEUR

Ex Legato Celsi Principis Ferdini: Ep'i Paderb. et Munster: h. 1677.



ANTVERPIÆ, EX OFFICINA PLANTINIANA. M. DC. LVII.
Abt. a Diepenbeke delin. C. van Craeckerken sculp.

Collegij Scti Ioseph Paderb.

Faint, illegible markings or bleed-through at the top of the page.

Faint, illegible markings or bleed-through at the bottom of the page.

S. D. N.
ALEXANDRO VII.
PONTIFICI
OPT. MAX.



GRATISSIME PATER,
EX COLLE SICHEMIANO, Deiparæ miraculis inclyto, ad septenos Urbis æternæ Colles venerabundus accedit, ac sacratissimis Pedibus tuis advolvitur Senior iste noster Florentius Waterloo, Congregationis Oratorii Presbyter.

Gratissimâ memoriâ menti nostræ obversatur ille candidissimo

* 3

cal-

calculo notandus dies, quo ante
annos aliquot SANCTITAS TUA,
tum Apostolicâ ad Pacem uni-
versalem toto Orbe Christiano
constituendam Legatione fun-
gens, sacrâ in SICHEM Peregrina-
tione susceptâ, DIVAM nostram
Thaumaturgam religiosissimè in-
visit, & incomparabili cælestis in-
genii sui monumento celebravit.

Suprà quàm dici potest hono-
rificum & gloriosum nobis duci-
mus, BEATISSIME PATER, visere,
posterisque visenda tradere loca il-
la, quæ magnus Hospes impleve-
ris, pacificisque gressibus ac vesti-
giis signaveris.

Inter

Inter alia tunc Congregationi nostræ præstita beneficia, eruditum piúmque Senem hunc nostrum Florentium, ægrum licet & corpore malè affectum, privatâ salutatione (qui summus illi honor) ac munusculo (cui propriâ SANCTITATIS Tuæ manu inscriptum legimus: *Bono seni Paralytico*) dignum judicabas.

Abiit ille (uti speramus) ad Superos, nobisque, præter ingens sui desiderium, vitæque sacerdotalis exemplar exactissimum, reliquit magnam Schediasmatum Sylvam, quorum singula præferabant breve Monitum aliquod,
car-

carmine expressum, idque è Vitis
& dictis S. PHILIPPI NERII
præsertim & FRANCISCI SA-
LESII depromptum. Dignaba-
tur aliqua, tum temporis, SAN-
CTITAS VESTRA inspicere, vi-
sæque est illorum lectione dele-
ctari, cùm, ut sibi eorumdem
centuria Aquisgranum mittere-
tur, mandaret. Nos illa sparsa,
& ab Auctore, minimo rerum
suarum æstimatore, neglectim ab-
jecta, in unum fasciculum, quali-
cumque ordine, collegimus ac di-
gessimus, eadèmq; SANCTI-
TATI VESTRÆ offerre ausi su-
mus, confisi benignitate toti Or-
bi

bi Christiano notissimâ, & verò
maximè testificatione illâ, qua id
sibi non ingratum fore significare
dignata est.

Precare ergo benè, S A N C T I S -
S I M E P A T E R, huic libello;
ut ille, tamquam è sacratissimis
Christi manibus benedicti pa-
nes, in purum rectorum mentium
transeat alimentum: & sicut ad
florentem hunc Senem vix ullus
accessit, qui non melior lætiór-
que abscederet; ita omnes, qui ad
posthumum hunc, ideóque infor-
mem *Ἐ μακαρίτη* foetum, candidos
oculos animúmque attulerint, pa-
ri beneficio perfruantur.

* *

In-

Interim, BEATISSIME PATER,
(quod enixè rogamus) dignare
quoque benè precari, & Apostoli-
cam Benedictionem impertiri,
mihi, totique Congregationi no-
stræ, quæ SANCTITATI VESTRÆ
devotissima, ad Sacrorum Pedum
oscula humillimè se prosternit.

Scribebam in Colle Sichemia-
no, apud Belgas, Nonis Augusti,
anno M. DC. LVII. ipso Deiparæ
ad Nives Festo.

SANCTITATI VESTRÆ
æternum devotus

Gerardus Sergeant, *Congregationis*
Oratorij in Aspero Colle Præ-
positus.

ILLVSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI
FABII CHISII
EPISCOPI NERITONENSIS,
AD VNIVERSALEM ORBI CHRISTIANO
APVD MONASTERIVM WESTPHALORVM
PACEM CONCILIANDAM
OLIM LEGATI APOSTOLICI:
N V N C

ALEXANDRI VII.
PONT. MAX.
PEREGRINATIO IN SICHEM
AD D. VIRGINIS TEMPLVM.

REGVM DIVA *genus, celo dignissima* VIRGO
Numinis aeterni Filia, Sponsa, Parens;
Perfugium miseris, oppressis VIRGO *levamen,*
Dulce decus Patriae praesidiumq; mea:
Obsequiis deuota tuis dabo carmina; Musam
Excipe, & addicti dirige Vatis iter.
In te DIVA feror: cordi mea sola voluptas
Est tu; nil aliud quod meditetur habet.
Hinc tua templa peto, COLLIS quae nominat ASPER,
Qua Brabantinos Demera lambit agros.

★ ★ 2

Tu

*Tu mentem rege quaeso, manū rege, DIVA, pedesq̄,
Et mea fac placeant vota precesq̄, DEO.
Nil mortale peto; non Sceptri fulgor, & auri,
Præsentis vitæ me bona nulla trahunt.
Terra suas habeat dotes; mihi sidera cura,
Et præ sideribus tu mihi, VIRGO, places.
Sis mea; te Dominam liceat mihi quaeso vocare:
Sim tuus, & servum mancipiumq̄, voca.
Sic non excludet læsum me Numen ab aëstris,
Sed veniam erratis criminibusq̄, dabit.
Sic famulum caræ venientem nomine Matris
Excipiet per te conciliatus Amor;
Dulcis Amor cæli, terræ Servator IESVS,
Una salus lapsis, fontibus una salus.
Ille tuis Infans iacuit deuinctus in vlnis,
Uberibus pendens & fuit ille tuis;
Qui vitæ mortisq̄, vices, qui providus Orbem
Supremo Judex temperat arbitrio.
Ille tibi pronus submittet Sceptra; volenti
Obsequitur, Matri nil negat ille suæ.
Ergo, DIVA, tuam recto peto tramite sedem,
Et te præsentem posco iuvandus opem.
Non me rura vocant, non propugnacula Mosæ,
Traiectum rapidis quæ rigat amnis aquis:
Non Hasselleti ciues, non mœnia nectent,
Non Herchenroti claustra sacrata moram.
Diste-*

Distemium prater tua versus culmina curram,
Ut sistant properum limina sancta pedem.
Bruxellâ veniet, mecum Internuntius Aris
Unâ incensurus pinguia thura Nepos.
Gaudia coniuncta reuocabunt mutua dextra,
Amplexusq; dabit pectus utrumque frui.
Non ideò secum ducet me sedulus ultra,
Ut visam reduci Belgica tecta pede.
Non vrbes, non aula Ducis, non docta Lycaea
Sunt desideriis amplius apta meis.
Talibus allicitur prima uo flore iuuentus
Moribus, & varias gaudet adire plagas;
Ut prudens animus narret venientibus annis,
Doctior exemplis visa referre suis.
Hospitio templum breuior me semita ducet,
Et Grani breuior semita reddet Aquas.
In senium vergo: vidi terraq; marisq;
Jam satis; una mihi restat eunda via.
Grandior illa quidem Cæli conuexa tuetur,
Est iter ad Superos, nomina lactis habet.
O utinam liceat nostras abstergere culpas,
Et niueâ Domini veste subire domum!
Ibimus (hæc spes est) latantes ibimus illuc,
Si te digneris tradere, VIRGO, ducem.
Et sanè facies; tua nos vexilla sequemur,
Ac per te facilis meta salutis erit.

★ ★ 3

Namq;

Namq̄ vales, optasq̄ malis succurrere nostris,
Nec Cynosura mari certior ulla nitet.
Sed iam SICHEMII spectantur culmina montis,
Turris, & aurato templa rotunda tholo.
Salve sacra domus, stellis ornata coruscis,
Ambiat aeternis quam sua silua comis.
Cresce abies victrix, radiis distincta per orbem;
Crescite fulgentes, frondea ferta, cruces.
Non tua Mars victor, non tangant mœnia fures;
Hinc procul è celo fulmina missa cadant.
Nulla tuos calles obscuret turba latronum
Insidiis; certum semita monstret iter.
Sospes ab extremis huc se pius aduena terris
Conferat, ad patriam mox rediturus humum.
Tum memoret DIVÆ simulacrū VIRGINIS, olim
Annosa quercus vertice compositum.
Ut lapide extructo, gemmisq̄ auroq̄ superbo
Translatum templo grandior Ara tenet.
Corporis atque animi languoribus inde medelam
VIRGO affert, calidâ si prece quisque petat.
Mille hac appensa recitant benefacta tabella,
Milléque testantur dona relicta fidem.
Venimus optatas, en tandem, venimus Aedes:
Ferre licet sanctis oscula liminibus.
Lingua sile, melius tacitæ suspiria mentis
Clamant; & vocem cor lacrymantis habet.


SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPUS IV. Hispaniarum Rex
Catholicus, & potentissimus Belgarum
ac Burgundionum Princeps, Diploma-
te suo sanxit, ne quis Oliverii Florentii VVa-
terloop, Congregationis Oratorii B. MARIE
Aspricollensis Presbyteri Poëmata Spiritualia
& Moralia Tetrastichis distincta, præter Bal-
thasaris Moreti voluntatem ullo modo impri-
mat, aut alibi terrarum impressa in has Germa-
nia Inferioris ditiones importet, venaliave ha-
beat. Qui secus faxit, confiscatione librorum,
& aliâ gravi pœnâ mulctabitur; uti latius patet
in litteris datis Bruxella XXVI. Julij M. DC. LVII.

Signat.

Loyens.

APPROBATIO CENSORIS.

ÆC Poëmata sacra Rever. P. Oliverii Florentii VWaterloop, Congregationis Oratorii B. MARIÆ Aspricollensis Presbyteri, divinam sapientiam, per aureas Virorum sanctorum sententias, dulci, elegante, & acuto metro astrictas, Lectorum animis suaviter instillant, altiusque infigunt; nihil verò continent quod Catholicæ Fidei aut bonis moribus adversetur. Quare eadem prælo dignissima censui, xxvii. Iulij M. DC. LVII.

Guilielmus Bolognino, *S. Theologiæ
Licentiatus, Cathedralis Ecclesiæ
Canonicus, & Librorum Censor
Antuerpiæ.*

OLIVERII FLORENTII
WATERLOOP,
CONGREGATIONIS ORATORII
B. MARIÆ ASPRICOLLENSIS
PRESBYTERI,
POEMATA
SPIRITUALIA ET MORALIA.
PROOEMIUM.



ANCTI PHILIPPI NERII,
Auctoris ORATORII,
Selectiora Oracula,
Et Monita spiritalia;

*Quàm suaviter cor afficit!
Quàm leniter mentem linit!
Hanc eger omnis dexteram,
Hoc tristis optet osculum.*

*Alumnus olim Mannius
Quæ patrio dabat stilo,
Numeris Latinis illigat
Divæ Aspricollis servulus.*

*Et illa, quæ puero mihi
Magister olim tradidit,
Hac reddo simplicissimo
Brevissimoq; carmine.*

*Et multa, quæ non NERIO
Voles tributa dogmata,
Accepta priscorum feres
Collationibus Patrum:*

*His in Scholâ Sapientiæ
Audita, lecta misceo;
Et pauca, quæ mihi jam seni
Magister usus addidit.*

*Accepta quoque SALESII
Piiſſimis Oraculis:
Sal, ille, mores condiens;
Lux, ille, nostri temporis.*

*Omittimus sententias,
Quæ spontè nostri carminis
Nolunt ligari legibus:
Sed nec repulsa displicet.*

A

Meritis

P R O O E M I V M.

2
*Meritis quòd inferiùs tuis
 Exile carmen panximus,
 Vt sub tuâ crescat manu,
 Hoc lance amoris pondera.*

*Te nostra si, Lector, juvant;
 Tibi, mihi que gratulor.
 Si spernis illa, & abjicis;
 Benè, liberè, & mecum facis.*

*Curâ tumultuariâ,
 Levisque conatu mihi
 Hæc constitisse carmina,
 Res prodit, arguit stilus.*

*Si fortè in hoc offenderis,
 Tuas quòd aures raserit;
 Ne rem proinde despuas,
 Placeâsve plus nimio tibi.*

*Habet suum seges bona
 Spicum malum; spicum bonum
 Seges mala: est in omnibus
 Boni malique mistio.*

*Scio, inter hæc sunt pleraque,
 Quæ cum, meipso iudice,
 Sint digna ter, quater lini,
 Scripsisse, dum relego, pudet.*

*Lectoris ingenium aureum,
 Argenteamque memoriam
 Denarius frustra meis
 Ditare coner areis.*

*Sunt parva quæ damus, scio:
 Sed ut suam parvis scias
 Inesse rebus gratiam,
 Hæc parva parvulos decent.*

*Maiora maiores sonent:
 Mihi magna parvo carmine
 Clausisse sensa, strenuis
 Equanda factis, sufficit.*

*Dent grandiores grandia;
 Mihi parvulo non est parum
 Et lac dedisse parvulis,
 Et escam adultis mentibus.*

*Ignosce, quòd verissima
 Brevissima regam togâ:
 Amat seipsâ, non togâ
 Placere, nuda Veritas.*

*Est cordis insipidi, novos
 Ebori colores addere:
 Est mentis impie, sacra
 Temerare fuco Oracula.*

*Quæ lecta laudas, hæc vide
 Ad vitæ ut usum transferas.
 Laudasse, iudicii fuit;
 Vti & frui, virtus erit.*

*Mihi facienda scriptito,
 Non facta. Sic juvet Deus
 Me, teque, factò ut utilis
 Vtrique fiat scriptio.*

*Facilia dictu scribimus
 Lectuque, sed factu ardua:
 Tu fac quod audes; quod vides
 Mihi excidisse, fac tuum.*

*Hic scripta, sic docilis lege,
 Vt seligas quod est opus:
 Opusque adaptes tempori:
 Alias juvabunt cetera.*

Multa

*Multa inter, illa iudica
Tibi esse scripta, quæ suo
Placent, iuvantque tempore:
Aliis relinque cetera.*

*Hæc sola tranquillus lege
Præcepta, quæ mentem docent,
Et cordis adfectum movent:
Alios docebunt cetera.*

*Si pauca possis discere;
Hæc pauca pro captu tene.
Si plura possis; te puta
Debere plura discere.*

*Res una quod videbitur
Repetita bis, ter, aut quater,
Cur improbes? factò ut probes,
Ne sic quidem dictum est satis.*

*Ne carpe quod versu brevi
Sententias claudam graves.
Non longa Lectori meo
Levitas placet, nec me decet.*

*Mulcentur aures lucidâ
Brevitate. Tu verbis brevis,
Quia esse vis ubi res petit,
Anagramma componis triplex.*

*Re sermo vacuus, auribus
Quamvis patet, mentem latet.
Re sermo plenus aurium
Ædes latet, menti patet.*

*Attentionem lux brevis,
Et lucida brevis parat.
Quis esse nolit, cum licet,
Verbis brevis, ubi res patet?*

*Quod rebus omnibus bonum
Pulchrumque inest, id est breve.
Quis ergo longa polysticha
Tetraſticho præamet brevi?*

*Ne longa, Lector, carmina.
Aut multa displiceant tibi;
Hæc pauca feci, ut curta sint,
Et curta feci, ut pauca sint.*

*Ne plura; mos hujus vetat,
An morbus, ævi: quo breves,
Et sic leves placent libri;
Longi, gravesque displicent.*

*Legenda plura quam velis,
Si longa dictat pagina;
Facilem fatigato dabunt
Alterna finem carmina.*

*Quot hæc benignè legerint
Documenta, me quidem latet.
At non latebit plurimum
Censura: paucis scribimus.*

*Me solor ævi moribus,
Quo nemo rectum iudicat,
Aut rarus unus, quod suo
Non ipse Marte fecerit.*

*Munite tot monitis liber,
Vtrique sorti te para.
Vt cumque dixeris; tibi
Benè ille dicet, hic malè.*

*Abi procul libido,
Turpes abite curæ.
Veni Cupido casta,
Cæli ac Dei Cupido.*

*Procul mephitis atra,
Mentes abite spurca:
At huc ades pudicæ
Nix & nitela mentis.*

*A te, Deus, radix boni,
Origo veri, turpibus
Calamis relinquens turpia,
Inepta ineptis, ordior.*

*Da, quæ PHILIPPI NERII
Fluxere ab ore, dogmata,
Bono referre spiritu,
Claroque veri lumine.*

*Mensura solus ô tui,
Immense IESU; Spiritu
Tuo mea vestigia
Mentis benignus dirige.*

*Illo ferente, in ardua
Hac ales ibit; & tuis*

*Audita, visa sedibus,
Facili recludet carmine.*

*PHILIPPE, sani dogmatis,
Bonique moris regula,
Probata Musis adproba,
Quæ protulisti Oracula.*

*Miraculorum maxime
Patrator, ô Tu demonas
Fugare suetus, corporum
Mala sæva, languores, necem:*

*O cujus ignis æstuans,
Virtusq; Solè clarior,
Animas tenèbris obrutas
Extraxit ad Celi jubar.*

*Diviniore jam face
Noctem necemque mentium
Dispelle, diam calitius
His conferens vim versibus.*



POEMATVM SPIRITVALIVM

P A R S P R I M A.

TITVLVS PRIMVS

Director sacer.



Nimum regēdi munere,
In Orbe nullū maius est:
Minoris est res muneris,
Artem regendi tradere.

Ars artium, Sapientiæ
Fastigium, Scientia
Scientiarum, est rectio,
Et cura prudens Mentium.

Hac arte nulla latior;
Sapientiâ, nulla altior;
Scientiâ, profundior;
Prudentiâ, diviniior.

Nil Mente in Orbe dignius;
Nil Mente majus conspicis;
Nil latius, nil altius,
Profundius, divinius.

Minoris Orbis, quem vides,
Major latet Mens incola.
Mundum gubernat Mentium
Director: Anima mundus est.

Hic Orbe major altero,
Tellure & astris vastior,
Sublimior, profundior
Oculos fugit mortalium.

At plura pulchra, illustra,
Arcana, rara, recondita,
Variaque concludit sinu,
Quàm mundus iste, quem vides.

Nam quadrat excellentiùs
Ter-maximo Archetypo Deo;
Meliusque Factorem suum,
Totius Ideam, refert.

Suum DEUS lustrans opus,
Benigniore lumine
Videt animam, quàm quidquid est,
Hanc præter, à se conditum.

Hunc sempiterni luminis
Oculum æmulari nos decet;
Et opus DEI, tamquam DEI
Spectare vultu, & lumine.

DEUS oculo æterno videns
Pulcherrimi Orbis fabricam,
Vbique magnitudinis
Suæ imprimat vestigia.

Hic oculus immensus DEI,
Quo, se videns, videt omnia,
Videt hominem, videt animam
Supereminentem cetera.

A 3

Ani-

Animam videt, Mentem videt: Res magna! Mentis, & domos,
 In Mente, lucidissimum Altissimo Sponsas DEO,
 Sapientiae speculum suae, Interminato sistere
 Amoris effigiem sui. Felicitatis termino.

Intelligendi munere, Hoc munus, hoc opus, tuos
 Et eligendi liberâ Natura fines transilit:
 Vi praeditam Mentem videt, Hoc Angelorum muneri
 Vero, bonoque idoneam. Mortalium sociat genus.

Idoneam, suae decus Nam quisquis in terris agens,
 Quae monstret Excellentiae, Caelstis æmulus Chori,
 Idoneam, nomen suae Hoc ritè munus fungitur,
 Quae praedicet Potentiae. Fit, & vocatur Angelus.

Hinc pluris hanc unam facit Fit, quando par sceptrum tenet;
 Quàm mille Mundorum globos. Par munus Angelis obit;
 Hoc sancta nos docet Fides, Opus facit, quod Angeli;
 Hoc finis ordo postulat. Purgat, Revelat, Perficit.

Non orbis orbem gratiâ Caeli Auctor, & terrae Sator,
 Produxit è nihilo DEUS; Hominem, Angelum pari regit
 Sed incolarum Mentium Sapientiâ, clementiâ,
 Amore mundum condidit. Vno gubernat ordine.

Has curat incessabili Quod vult DEUS, hoc Angelos
 Regitque Providentiâ: Vult velle: quod vult Angelos,
 Has ad se inæstimabilis Id velle vult nos; Angeli
 Amoris escâ pellicit. Vt simus, opere, & nomine.

Miro novo mysterio Vult Sanctus in Caelis DEUS,
 DEUS homo fit! nil non facit; Vult Sanctus in terris coli:
 Fert omne durum, perditas Nos esse, ut Angelos, suae
 Vt asserat Mentis sibi. Vult sanctitatis compotes.

Hoc Angelos, hoc dæmonas At Mentis humanæ ducem
 Dat in stuporem: hoc unicum Hominem esse naturâ docet,
 Testatur, anima quàm DEO Non Angelum; sed Angelum
 Sit orbe toto carior. Sanctis referre moribus.

2. Dic:

2. Dic: Pectus incendit meum Recedis à rectissimâ
 Veri fames, sitis boni; Mentis regendi regulâ;
 Da Christe, da, vivam satur, Nisi te esse ductorem sibi,
 Saturemque quos per me voles. Simulque patrem sentiât.

Vultu benigno me tuo Quales requiris filios,
 Satura DEUS: liber famis Pater esto talis. Sit tibi
 Sitisque tunc vivam satur, Benignitatis regula,
 Saturosque fratres offeram. Inspecta IESU Humanitas.

Amor DEI pascit gregem; Volens fidelem filium
 Haud mulget, haud tûdet pecus. Videre, te monstra patrem.
 Sermone, & exemplo, & prece, Opus, fidemque filij
 Ovine CHRISTI pascito. Oculi boni stimulat patris.

Si voce & exemplo præis, Hæc est beata Cælitum,
 CHRISTVMque multis prædicas; Hæc nobilis fecunditas,
 Paulo canenti concine: Generare Cælo liberos,
 Odor bonus CHRISTI fumus. Sanctosque Cælo reddere.

Qui Mente fulget aureâ, Haud jure quis possit queri,
 Sunt facta & ejus aurea. Quod, caritatis ordine,
 Documenta, factaque aurea Plantas ut irriges novas,
 De corde surgunt aureo. Saturas relinquo ilices.

Doctoris est sacri scopus Precare supplex pro tuis
 Doctrina, & innocentia, Domesticis: amat DEUS
 In Mente fulgens veritas, Pro subditis orantium
 In corde fervens caritas. Audire Præsidum preces.

Vbi veritatis fax abest, 3. Domûs dicatæ Numini
 Et caritatis; arduum, Cùm te penes sit rectio;
 Periculosaque alex Stude ordini, ne turbidam
 Plenum est opus, regere animas. Confusio perdat domum.

Non Præsidem te auctoritas, Aptè imperare, & ordinem
 Sed caritas dicat Patrem. Servare, munus est Ducis:
 Ut sis tuæ dominus domûs, Qui negligis, jam non regis;
 Sis servus unus omnium. Dissolvis, atque dissipas.

Nimum

Nimium solutos, ordinem
 Servare coge; neminem
 Æquis statutos legibus
 Sine præterire terminos.

Quos institutis optimis,
 DE I que amore junxeris;
 Hi pulchrioris ordinis,
 Nepotibus specimen dabunt.

Quos disciplina laxior
 A te DEO que abjunxerit;
 Hi pristinae licentiæ
 Post te prement vestigia.

Si constitutionibus,
 Et more concordi tuos
 Sibi tibi que junxeris;
 Gratos relinques posteros.

Non parva Doctore accidit
 Merces & oblectatio;
 Cum, quos docet, dociles habet,
 Gratos que sperat posteros.

4. Stude hujus unam sæculi
 Vitare pestem; plurimum
 Malo, atque paucorum bono,
 Potente abuti gratiâ.

5. Qualis Gubernator domûs,
 Tales frequenter incolæ:
 Exemplum alumnus Præsidis
 Sequetur, aut vincet sui.

Bonus esto, ut emendes malos.
 Sperabis incassum tuos
 Vigiles, modestos, sobrios,
 Nisi antè talis vixeris.

Dux vive honestè: subditi
 Ad alta flectunt lumina,
 Et hinc suis idonea
 Exempla sumunt moribus.

Quisquis præes, cave ad malum
 Præire vel minimum tuis.
 Si lucis orba lux erit,
 Quantus tenebrarum nigror!

Quod Rector audebis malum,
 Hoc in malum recidet gregis.
 Noli patrare Superior,
 Quod nolit Inferior pati.

Vbique iniquè vivitur,
 Non ut licet, sed ut libet:
 Sed nemo, quæ dat subditis
 Exempla, non debet pati.

Quod vel facis, vel haud caves
 Ne fiat, hoc vitio alteri
 Ne verte: quod tu perpetras,
 Aut subditus, tibi imputa.

De plebe quisquis deviat,
 Solus perit; sed plurimos
 Involvit error Præsidis.
 Tantis obest, quantis præest.

6. Tibi præesse disce;
 Tuam ordinare vitam,
 Mores & actiones;
 Et abnegare temet.

Benè ille, qui prodest, præest;
 Qui crediti memor gregis,
 Libenter antefert suis
 Commune rebus commodum

Quæ-

Quæcumque Director tuis
Placere alumnis, & magis
Prodesse cernis in dies,
Hæc apta spiritui puta.

Bono imperanti, mens bona
Tamquam sibi ipsi obtemperat:
Perspecta Doctoris boni
Tantum valet modestia.

Plus innocentis, plus probæ
Vitæ tenor solet animo
Suadere, quàm Demosthenis
Aut Tullij linguæ decem.

Quibus placere non potes,
Præesse noli: non solet
Prodesse quisquis displicet.
Ama; placebis, proderis.

7. Prodesse si voles tibi,
Ama præesse nemini:
Præesse qui vult alteri,
Sic præsit, ut profit sibi.

Subesse si non noveris,
Præesse non speres benè.
Subesse quando plus amas,
Præesse securus potes.

Parère disce, ut imperes:
Qui paret, imperat sibi:
In se quod imperium tulit,
In alterum facilis geret.

Præesse qui voles benè,
Agenda quæ præscripseris
Egisse nuper sis memor.
Fac antè; post fieri jube.

Hoc plus juvabis, quò minus
Iubebis: exemplo præi,
Verbum sequetur efficax.
Pulchrè juvat, qui sic jubet.

Ama videri, cùm jubes,
Propior roganti: plus valent
Potentis imperio preces.
Iube, & roga; roga, & jube.

Obedientem filium
Iratu irritat pater:
Placidi parentis suasio
Est jussione fortior.

Mentes paratas obsequi
Violenta turbat iussio:
Mitis potestas Præsidis
Est fortior ferro & face.

Iubere qui multum voles,
Iuvare me poteris parum.
Multum jubere legis est;
Multum juvare gratiæ.

8. Ægris ubi optas mentibus
Opem salutarem dare,
Quàm sis ineptus inspice,
Cum nec feras opem tibi.

Fratrum saluti cùm voles
Operam dare haud inutilem,
Fatere te indignum, his opem
Qui ferre possis utilem.

9. Audis pater? quam prædicas,
Virtutis esto formula.
Quæ vita delectet DEUM,
Legat in parente filius.

B

Ad

Ad optimæ vitæ viam,
Malæque pœnitentiam
Hortare vitâ : non potes
Meliore suadâ flectere.

Si subditis factis præis,
Nec multa verbo præcipis ;
Habebis illos, ceu patri,
Obedientes filios.

Facto docebis pleniùs,
Quàm voce: fortiùs movent
Exempla, quàm facundia:
Vox erudit ; mores trahunt.

Quid verba nequidquam teris ?
Te nemo, vel rarissimus,
Nisi res loquatur, audiet.
Exempla, & opera, Rem voco.

Tot pulchra pulchrioribus
Nisi dicta factis afferas,
Nihil aget, at quæ dixeris
Narrabit auditor piger.

Quò vis alumnos, huc prior
Te flecte: nemo fervidus
Afflavit alteri gelu ;
Nemo calorem frigidus.

Sermone, quo vis alterum
Monere, te mone prior:
Mali metum, ardorem boni
Vt imprimas, prior indue.

Oportet igne te DEI
Calere, ut uras proximum :
A corde verbum frigido
Quod exit, ignem non dabit.

Aut ne doce sermonibus,
Aut moribus magis doce.
Frustrà ore declamas graui,
Quod more disfluades leui.

Alium movere non potes,
Ni motus ipse sis prior:
Sed prima te debet tui
Movere contemplatio.

Hominem monere homo potest,
Soletque: sed cur lentius,
Quod suadet, hoc itidem facit?
Monitoribus labor est opus.

Res ipsa quem non incitat,
Nec verba, rerum imagines,
Movere possint: permanent
Exempla ; sermo præterit.

Res cogit, id quod vix rei
Imago verba suaserant :
Ad verba, verborum sonus ;
Ad opera, vis operis movet.

Dicendo suadebis parum:
Agendo cum præcesseris,
Audebit auditor bona
Et recta monstrantem sequi.

Pictor suis pulchrè docet
Delineationibus.
Longis quid indiget logis,
Qui, quod docet, manu facit ?

Quos unicâ linguâ trahis,
Vtrâque rejicis manu:
Nam quos polito traxeras
Sermone, vitâ submoves.

Suadere

Suadere nolis alteri
 Probare quod nequeas tibi.
 Vis concionis maxima
 Est vita dicentis proba.

Ad agenda, quæ tu non agis,
 Movere si vis alterum ;
 Dic verâ, ceu præco DEI,
 Et veritatis nuntius.

Doce teipsum, & admone:
 Facundus ille Orator est,
 Qui suadet id primum sibi,
 Suadere quod vult alteri.

Cordis medullas impleat
 Ros, atque robur gratiæ ;
 Prius tibi, quàm ceteros
 Munus docendi sumpseris.

Si primus es medicus tibi,
 Aliis secundus ; si tui
 Tua vita norma sit gregis,
 Verbum sequetur efficax.

Vix esse cum fructu queas
 Salutis alterius memor,
 Tibi ipse quando deficis,
 Salutis immemor tuæ.

Si, te tacente, à subditis
 In te, tuisque moribus,
 Vitæ legatur regula;
 Es viva, Rector, regula.

Ipsam sibi rectissimam
 Oportet esse regulam,
 Ad quam regantur cetera:
 Talem esse te ducem decet.

10. Non omnis animus ad DEUM
 Vnâ vehendus est viâ:
 Quem mollit oris suavitas,
 Hunc efferat severitas.

Non una vitæ formula
 Hominum capit varium genus.
 Ferri trahax non omnia
 Magnes metalla ad se trahit.

Cæco ille fertur impetu ;
 Satis hic videns cessat nimis:
 Vtrumque prudens arbiter
 Freno aut flagello dirige.

Res omnis haud omnes juvat:
 Te sternet ista, hunc eriget.
 Tot una diversos nequit
 Medela morbos pellere.

Non omnis una est omnibus
 Humeris ferenda sarcina:
 Quod non tui antè senserint,
 Hoc nemini imponas onus.

Hunc ferre cur taurum jubes ?
 Nequit capellam: par onus,
 Pares lacertos indue,
 Ne fasce sub nimio gemant.

Docere quem voles, vide.
 Capietur exemplo rudis,
 Non syllogismi argutiis:
 Capiendus est, qui non capit.

Non corbe toto, sed manu
 Solâ fere: aude suaviter.
 Delapsa sæpè guttula
 Sine impetu lapidem cavat.

11. Domi morare : sic tuus,
 Ut omnium : sic tuo
 In otio, negotium
 Ut mente publicum geras.

Custos rei fidissimus
 Præsentis est oculus heri.
 Absente consilio & Duce
 Inanis est vis militum.

Quam rem perire non velis,
 Hanc sæpè præsens aspice:
 Est optimus custos rei
 Frequens heri præsentia.

12. Assuesce rebus exteris
 Te commodare, haud tradere.
 Qui multus est in omnibus,
 Vix unus est in singulis.

Sic esto alius, ut prius.
 Tuus esse possis: sic tuus,
 Alius esse uti queas.
 Tuus antè, alius postea.

Vis esse totus omnium?
 Sis totus ipsemet tuus.
 Quis esse possit omnium,
 Qui non & ipse sit suus?

Te nosce: sis memor tuis.
 Modum lacertis ponere:
 Vix unus omni æquè fuit
 Rei gerendæ idoneus.

Ne solus unus omnium
 Subire coneris vices:
 Sed plura plurium in manus
 Partire prudens munera.

Sic vive commodus tibi,
 Vivas ut idem ceteris:
 Præstabis istud, cum tibi
 Et ceteris vives homo.

Nec omnia audi, nec vide:
 Audi videque singula.
 Mens occupata plurimis,
 Vnum nec audit nec videt.

Tibi, Pastor, & tuo gregi
 Attende; sed primum tibi.
 Se perdit ille, qui omnibus
 Fit omnis; est nullus sibi.

Gregis salutem dum studes,
 Ne negligas tuam, cave.
 Sic omnium esto, ne tui
 Frauderis unus munere.

Te non habent omnes, nisi
 Sis unus ex habentibus.
 Habeare sic ab omnibus,
 Ut te prius habeas tibi.

Dum liber, & servus, senex,
 Iuvenis, vir & mulier tuo
 De fonte largiter bibunt,
 Languere te pudeat siti.

Nec esse possis omnium,
 Nec singulorum; singulis
 Et omnibus si te datum,
 Non & teipsum das tibi.

13. Casus tuorum, & casuum
 Occasiones, narium
 Sagacitate præveni:
 Odora vis est spiritus.

Fra-

Fratrum, quibus præes, Pater,
Circumspice indigentiam ;
Horumque quâ poteris ope
Necessitates subleva.

Fac ut tuorum corpora
Animi que vigeant: tu tamen
Stude antè mentis ulcera
Sanare, deinde corporis.

14. Mentis DEO sacras rege
Clementer: errandi metum,
Et ad malum erubescere,
Facit regentis lenitas.

Clementer indignos rege,
Dignos honorificentius.
Vtrisque ineptus, in tuo
Melius latebis nidulo.

Æquam probis refer vicem,
Non improbis: quibus sat est
Quod abs te amari nil bibant.
Sic improbos facis probos.

Ne suade ephebo blanditer;
Nec imperato sæviter.
Facis solutum blandior ;
Minus fidelem sævior.

Loquela fastu turgida
Inducit ad malum bonos:
Mitis loquelæ suavitas
Reducit ad bonum malos.

Plus dicta tangunt fortia,
Suadentque, quàm vultus minax:
Repetita crebrius probra
Frontis pudorem deterunt.

Pufilla curando acrius,
Majora fiunt vulnera:
Te præstat ista suaviter
Monstrare, quàm sic tangere.

Ne fratris ulcus impetu
Vehementiore percutit:
Quem dura verbi veritas
Vix punget, unget caritas.

Crudelis audit tristibus
In rebus objurgatio:
Recta audiet venter satur;
Jejunus auribus caret.

In contumaces, pro tuæ
Auctoritatis impetu,
Gravisque noxæ pondere,
Vide ut superbè nil agas.

Hunc fac volentem quem voles
Facere obsequentem: quem tenes
Invitum apud te, ad ocyus
Te deferendum provocas.

Mansura non erit decem
Pietas coacta mensibus:
Monachus coactus non erit
Mansurus annis quatuor.

Te quisquis invitum docet,
Non erudit, sed percutit.
Te quisquis invitum regit,
Lædit magis, quàm corrigit.

In te severus, alteri:
Ignosce lenis: te prior:
Dijudica, argue, increpa ;
Facilem alteri veniam dabis.

B 3

Quem

Quem cernis errantem domi,
Hominem puta, non Angelum:
Quis, quando, ubi repertus est,
Qui nil quod ignoscas habet?

Opis indigum si filium
Severus objurgas pater,
Damnas; & abs te, muneris
Obliuione, projicis.

Quemcumque nævum proximi
Commotior reprehenderis:
Sunt punientis impetus,
Non instruentis, Caritas.

Solent in irâ nec bona
Nec tuta consilia capi.
Vim juris obliuiscitur,
Aut spernit iracundia.

Meliùs cor ægrum vincitur
Ratione, quàm iracundiâ:
Mansura mansuetudinis
Pax esse suevit præmium.

Plus lucis & plus roboris
Spera docendo suaviter;
Armata ratio vim suam
Solet per iram perdere.

Duras amoris unguine
Correptiones imbue:
Volens libensque mollia
Fomenta molle cor capit.

Rationis acrimoniam
Melle indue, ut persuadeas.
Eneruat iratus suam
Orator eloquentiam.

Ne possit esse rex apum
Vel ultionis appetens,
Vel seſvus in gregem, hunc parens
Natura privat aculeo.

Æger fit ægro, qui cupit
Sanare: prudens caritas
Ægrotat ægrotantibus,
Et omnibus fit omnia.

Infirmiorum firmiter
Solare fratrum pectora;
Ne lenta conniventia
Recti rigorem molliat.

15. Auctoritatem Præsidis
Tenace fundabit jugo,
Amor timore perlitus,
Amore dilutus timor.

Si non amori mutuas
Amore reddideris vices,
Poteris timeri, non fide
Sincerâ amari à subditis.

Vt recta morum regula
Et disciplinæ stet vigor;
In corde regnet caritas,
In ore & opere veritas.

Ridens timeri debeas,
Amari & iratus queas:
Nec risus excutiat metum,
Nec ira amorem deterat.

Nec cede mollis omnibus,
Nec durus obsta: liberè
Dic si quid aptum judicas;
Sed tempus & modum tene.

Seve-

Severitati pristinæ
 Pauci licet simus pares ;
 Vincit levem clementiæ
 Speciem salutaris rigor.

Nec blandiens sibi caput
 Extolle conniventia;
 Nec anxium cor parvuli
 Severitate contere.

Ad parva conniventia
 Sæpe est mali magni parens:
 Rectoris indulgentia
 Inertiæ nidum struit.

Veteris cave ne injuriæ
 Tolerantiâ invites novam:
 Censura cum parcat malis,
 Malum bonorum fit malo.

Ignosce quamdiu vis mali
 Nondum medelam respuit:
 Qui te parentem senserit,
 Et filij affectum induet.

Severiore erga malum
 Frontem coactus indue;
 Et disciplinæ incurium
 Verbo acriore suscita.

Placere nolis omnibus:
 Place, priusquam suadeas:
 Suade, priusquam corrigas.
 Prodest medela tempore.

Morbis tuorum & moribus
 Adhibe medelam tempori,
 Molli venena dum gradu
 Cœpere primùm serpere.

Nunc vive. Quod nunc negligis
 Curare, crustatur malum,
 Crescitque, & obruit tuæ
 Felicitatis femina.

Morsum aspidis cita sectio,
 Aut nulla curabit manus:
 Domum simulas optimam,
 Nisi refecetur, opprimet.

Mentita fronte caritas,
 Et fictionum factio,
 Ne fruticet: in primâ herbulâ
 Messem simultatum opprime.

Citò tabidi membri luem
 Ferro seca: mox latius
 Quod negligis serpet malum.
 Discrimen augebis morâ.

Serventur omnes ut domi,
 Tentanda sunt quidem omnia;
 Sed præstat unum tollere,
 Ne tota spes pereat gregis.

Sine strepitu quisquis perit,
 Satis perit: quisquis bonus
 Fieri recusât, est malus:
 Malus esse qui vult, pessimus.

Si negligentis filij
 Labes feras, auges tuas:
 Si diligentis te patris
 Labes feras, minuis tuas.

In subdito ne differas
 Punire quod decet malum:
 Procrastinando fis mali,
 Quod patrat ille, particeps.

Vitium

Vitium minus quamdiu feres,
Majus feres. Crescit malum
Quod transilis. Probis nocet
Quicumque parcat improbo.

Iræ modum cum noveris
Rectrice mente ponere,
Severitate idonea
Sis acer in superbiam.

Decet subacto pectori,
Mitiq̄ue menti parcere:
At dura cervix non nisi
Iræ flagello flectitur.

Sibi tribuentem plusculum
Si blandius demulseris,
Irroborabit, & latens
Virus fovebit in sinu.

Reo fatenti ne graves
Inflige pœnas arbiter;
Sed leni obedientiæ
Animum coërce sub jugo.

Diversa diversos movent.
Ducenda nutu mens bona;
Terrenda verbis mens mala;
Sed fuste stultus indiget.

16. Cum punies, intra modum
Stet pœna: dignum verbere
Terrere sufficit minis:
Sit pœna delicto minor.

Sit ordo pœnis; pro gradu
Sit pœna culpæ: provide
Vt pœna semper ultimo
Extrema servetur loco.

17. Opinione turgidum,
Bonisq̄ue surdum vocibus
Quisquis doces, laterem lavas,
Surdo canis: docilem doce.

Vbi nullus est mentis vigor,
Ibi disciplinæ spes labat.
Frustraberis, panes tuos
In frigidum furnum jadis.

Noli inquinato infundere
Rem spiritalem pectori.
Prudens quis unquam sordido
Vnguenta vasi credidit?

Nullum magis vita malum,
Quam clausa cælo pectora:
Morbis medelam talibus
Ars nulla, nulla vis dabit.

Surdo catit, laterem lavat,
Qui verba cum stulto facit:
At spreta duris auribus
Doctrina ad auctorem redit.

Quare salutis improbus
Audire verba respuit?
Ratione pervicacia
Haud molliuntur viscera.

Terrere veros & bonos
Mala verba vix possunt viros:
Bona verba vix possunt malas
Ad recta mentes flectere.

Cor arte nullâ flexile
Amanda dicta respuit:
Ægro palato pessima
Fit pœna panis optimus.

Vbi

Vbi scepra mos malus tenet,
Ibi multa regnabunt mala;
Quæ nec licebit, cum semel
Inoleverint, revellere.

Prodesse si vis mentibus,
Ama præesse mitibus.
Fit agnus agni dux, pater
Columbuli, columbulus.

Te subtrahe ingeniis feris:
Sinistra vita: bruta erunt
Et dira, si facis malè;
Ingrata, si facis benè.

Vbi videris, quod dirigi
Vel abnuit, vel non potest;
Cunctare. Messis tempore,
De fruge decernet DEUS.


Fac muneris quod est tui;
Quod est sui faciet DEUS:
Fac Antecedens, & DEO
Permitte Consequentiam.

18. Quod ære communi struis,
Vel omnium causâ facis,
Hoc antè sensu plurium,
Votoque communi proba.

P A R S P R I M A.

TITVLVS SECVNDVS.

Tiro.

I.  Viesce Tiro, audi, tace.
Stilo novo, cerâ novâ,
Nudâ tabellâ, spiritûs
Docende regulis, eges.

O qui per ignotas novæ
Regendus es mentis vias!
Vacuis tibi nunc auribus,
Oculisque cæcis est opus.

Audi, tace, luge, fuge;
Ora, labora; sustine,
Et abstine; mentem Deo,
Sensusque menti subijce.

Si te DEUMque noscere;
Odio teipsum, & maximo
Amore CHRISTUM prosequi
Desideras, NESCI RI AMA.

Te, Tiro, da totum tibi;
Externa mitte negotia;
Ut mente gustes integrâ,
Quam suavis est cordi DEUS.

Cæleste fuge lac puer,
Verumque cum recto bibe.
Vtriusque odorem, vas recens,
Servabis, & referes diu.

C

Quæ

Quæ prima feceris puer,
Vel dixeris benè aut malè,
Tecum senescet: te prior
Sequetur institutio.

Rationis à primordio
Cælum intueri; terrea
Contemne: tale exordium
Felix sequetur clausula.

Postremus ut vitæ dies
Prioribus respondeat;
Baptisma quam puero dedit,
Adspira ad innocentiam.

At longiore ne morâ
Amor tepescat & labor;
Hunc posse, quem vides, diem
Tibi esse postremum puta.

Modestia in vultu excubat;
In ore purpurat pudor;
In fronte ridet gratia.
Quæ causa? Virtus est domi.

A mole carnis libera
Haud pendet anima: corporis
Agnata temperies tui
Mentis vigorem non facit.

Formæ, & venusto corpori,
Veniens dies demit diem.
Tibi placeat mentis decor,
Virtus, color vivus DEI.

Non oris aut frontis decor,
Non forma te pulchrum facit;
Sed mentis albæ puritas,
Morumque sanctorum tenor.

Innata menti semina
Virtute maturâ excole:
Hæc segregatum bestiis,
Te proximè junget DEO.

Procul habitat Sapiencia:
Ni te in viam dederis puer,
Vix ædium tanges senex
Sacratiorum limina.

Primis ab annis inclytæ
Virtutis angustam riga
Sudore nobili viam,
Amans laboris improbi.

Ne pigriteris arduam
Inire Virtutis viam.
Primis ab annis fortia
Facere & pati, format virum.

Etiâne cessas? incipe.
Perire quæ finis modò,
Frustrâ deinceps perdita
Quæres adultus tempora.

Tempus futurum non habes;
Præsente, quod fluit, cares.
Quàm falleris, qui te putas
Tempus terendo fallere!

Tacente dum cursu tibi
Dies & annus labitur,
Virtutis augendæ perit,
Quod hora carpsit, otium.

Iuvenilis ætas floribus
Solet esse quàm simillima:
Stude, futuris fructibus
Præhūdat ut pueritia.

Citò,

Citò, citò quod prodest, age;
Citò fuge, quod nocet citò:
Multis vel in pueritiâ
Exisse mundo, profuit.

O te beatum, si DEO
Iuvenis, puerve primulam
Offers opellam ! quem putas
Diem futurum, nox erit.

Constantis ætatis tibi
Ne pollicere terminos:
Celeri quis aufit cursui
Anni ruentis fidere ?

Nixus juventâ, & flosculo
Viridantis ævi, falleris.
Abiisse senties prius,
Quàm verè adesse senseris.

Virtutis in canos opus
Ne differ annos: mors sua
Differre nescit stamina;
Tibi omnis hora scribitur.

Vbi ad senectam veneris,
Frustrâ juventæ perditos
Sperabis annos: tunc seni
Tractanda erunt senilia.

Ne fide primulæ, puer,
Oris tenelli purpuræ:
Decerpta sæpè pulchrior
Sub unguibus periit rosa.

Hoc oris & formæ decus,
Quo gloriâris, plantulæ
Instar tenellæ, cum metet
Falx mortis, id faciet solens.

Quando in sepulchretis patrum
Multò minores te jacent,
Ætatis omnis tempora
Fac disciplinæ idonea.

Dum ludis, hora mobilis
Alis volat pernicibus,
Et cæca mors casses parat
Brevis diei prodigo.

Sol omnium celerrimus
Nobis videtur; est tamen
Celerior hora: non semel
Stetit hora; Sol stetit semel.

Tibi primus omnis sit dies;
Postremus omnis sit dies:
Te primus applicet bonis;
Postremus avellat malis.

Longum est iter; tempus breve:
Animæ salus, negotium
Negotiorum maximum,
Tuam excitet socordiam.

Occasionis obviam
Prehende frontem : opus bona
Celer inchoa ; citò perfice.
Mors instat, impatiens moræ.

Occasioni obtempera ;
Obtemperabit hæc tibi.
Benè cœpta constans promove,
Cœpisse ne sit turpius.

Te da libenter obviam
Occasioni commodum;
Tuis vicissim serviet,
Dabitque tempus usibus.

2. Primam audiendi Numinis
Occasionem amplectere;
Ne quam prius neglexeris,
Frustrà deinde quærites.

Cur te foris, IESU puer,
Diu vagantes quærimus?
Es intus, obsequio Patris:
Nos cordis in templo doces.

Mens vana, lucis indiga,
DEUM vides, & non vides:
Audis, nec audis: qui propè,
Imò intus est, quæris foris.

Abducta mens à sæculo
DEUM audit intus, & videt.
Cor hospes hospitis DEI
Theologiam discit brevem.

Ad vanitatis quò magis
Accedis umbras, & nihil;
Hòc veritatis longiùs
Recedis à luce, & DEO.

In re salutis, quis tibi
Si non tibi ipse consulas?
Quid tu, nisi in te agat DEUS?
Ecquando, si nunc negligis?

DEI fideles vocibus
Aures habe; pariter tuis
Aures apertas vocibus
Fidelis ostendet DEUS.

Vt agens agaris à DEO,
Da tempus illi, da locum:
Patientis expleas vices;
Agentis explebit DEUS.

Aures apertas arrige,
Os claude; vult loqui DEUS.
Pectus caducis exime,
Vult illud ingredi DEUS.

Tibi loquatur ut DEUS,
Silere oportet omnia.
Sed qui filebunt omnia,
Nisi & filere tu velis?

Loquentem ut audias DEUM,
Iube filere cetera.
Vt liber in te agat DEUS,
Hunc discite tranquillius pati.

3. Placitum DEO vitæ genus
Vt assequaris, elige
Prudentiorum, sed tuas
Adscisce consiliis preces.

Constantis & gravis viri
Nequit esse consilium leve,
Nec ambigens sententia:
Facit tenacem veritas.

Felicitate plus solet
Valere consilium bonum.
Viri periti oraculum,
Est ipsamet Felicitas.

4. Attende tibi. Sequere DEUM.
Sede antequam surrexeris;
Et surge postquam sederis;
Effunde postquam infuderis.

Ad se vocavit te DEUS,
Magnâque traxit gratiâ:
Sequere, & ut assequi queas,
Prece & labore adnitere.

5. Can-

5. Candoris, ô puer, tui,
Et mentis indolem bonæ,
Petulanter irradientium
Ride coævorum gregem.

Pietatis in te imaginem
Qui rideant socios vides?
Hos mitte donec lugeant,
Tuusque, & iltorum mane.

Non te malorum irrifio
Det in ruborem: turpia
Nec mente verfa; sed DEUM,
Et Angelos, & te time.

Ceu derelictum te timor
Divinus anget: te diu
Noctuque cælo supplicem
Spernet superbus, & piger.

Mundana quæ fex jactitat,
Vnius æstima pili.
Mens recta, curvis sensibus
Immanè quantum diffidet!

6. Reverere docilis, & lubens,
Quos sacra vestit Infula,
Mysteriorum, dogmatum,
Viæque cæli conscios.

Est, absque doctore, ad malum
Tua indoles idonea:
Sed ad bonum, tibi est opus
Doctore: Virtus discitur.

Animi arbitrum, & ducem tui
Mille inter vnum selige;
Qui, quod tuæ placeat magis,
Profitque menti, noverit.

Doctum piúmque; animi ducem,
Viæ peritum, & prælij,
Et intus & foris diu
Exercitatum, delige.

Bonum viæ cense ducem,
Qui te intus antè noverit,
Opesque, & inopiam tuam
Longâ fit edoctus die.

Morum magister, est DEI
Animata imago: quisquis es
Auditor, æstima virum,
Et in viro æstima DEUM.

Morem DEO gerentibus,
Morem lubens meritò gere.
In voce Doctoris sacri
Agnosce Doctorem DEUM.

Mentis ducem, mente elige;
Quem legeris, reget DEUS:
Opus, modus, tempus, locus
Ab ejus ore pendeant.

Lectum tibi, ceu cælitus
Datum, cole & serva Ducem;
Qui fidus instet pectori
Magister, & medicus tuo.

Audi monentem: audi patrem.
Quicumque fidum spiritûs
Audire negligit ducem,
Nescire vult, quod vult DEUS.

Bona inter, elige optimum;
Elegit hoc, qui parüit.
Quod vox Regentis jufferit,
Id esse discas optimum.

Te dicta scriptaque omnia
Prisci docebunt sæculi,
Factos fuisse maximos,
Qui pariter maximis.

Animi ducem, raro DEI
Lectum datumque munere,
Si linquis imprudens, time
Quas orcus insidias struit.

Vt sis DEI, ne sis tuus;
Lecto Duci morem gere:
Virtutis ad fastigium
Itinere pertinges brevi.

DEO placere si viæ
Desideras compendio,
Tuus esse cessa: nam tuus,
Large ferēs, parcè metes.

Facilem bonis calca viam
Obtemperando: gratior
Fies DEO, quàm si tuæ
Spontis sequaris aspera.

Errationis pessimæ
En optimum compendium:
Gnarum viæ DEI ducem
Sectare, diffusus tibi.

Securiore vis pede
Inire virtutis viam?
Parere disce, ni facis,
Longos per anfractus rues.

Stas solus? ut ne mox cadas,
Verè; sed magis time,
Ne lapsus, haud facilè queas,
Nullo iuvante surgere.

Sub fasce lapsus, in pedes
Te solus haudquaquam eriges:
Nec cæcus, amisso duce,
Tutam redibis in viam.

Carere si gaudes duce,
Agrestis instar arboris,
Quem fortè fructum proferes,
Fur ante tempus auferet.

Adjunctus ut carbo suum
Citò perdit ignem; sic duce
Orbatus algebis citò,
Ardoris expers pristini.

Duce destitutus in lutum
Dilapsus, hærebis luto.
Parvi tuam facis animam,
Tibi quam tuo fidis duci.

Tunc maximè cùm solus est,
Homo malignus est miser:
Fit namque nequam nequior,
Quando relictus est sibi.

Si pareas, & ceu DEI,
Consulta patris audias;
Securus es de judicis
Severioris fulmine.

Animi magistris obsequens
Haud erubescas, quòd tua
Benefacta carpant ludij,
Aut sanniones rideant.

Ni jussa præferas tuis
Ratiocinationibus,
Obedientiæ tibi
Corona non cinget caput.

Te

Te subde lenis imperi
Suavi jugo, violens volens;
Seu magna, seu minutula
Lex imperarit munia.

7. Obedi: obedientia
Est liberi arbitrii tui
Pulchrum sepulchrú, & Numini
Accepta summo victima.

Humilis obedientia,
Sublimis est prudentia;
Divinioris lumen est
Vicarium sapientiæ.

Est munus, & jus proprium
Prudentiæ, legem dare:
Simplex obedientia,
Tironis est prudentia.

Errare, qui præest, potest;
Errare, qui paret, nequit:
Humilis obedientia,
Sublimis est prudentia:

Nullis obedientia
Ratiocinationibus
Aut syllogismis indiget,
Humilis voluntas sufficit.

Simplex obedientia
Cæca, expedita, flexilis,
Ratione quod non discutit,
In mentis audit vertice.

SAPIENTIA inscrutabilis,
Quas gratias agam tibi,
Obedientem quæ tuâ
Me dirigis cæcum manu!

8. Si recta commonentibus
Parere tardus, vis tuis
Obtemperare sensibus,
Onus grave imponis tibi.

Plenè ut jubenti pareas,
Tuo repugna sensui.
Malè ille paret, qui suo
Præjudicat de iudice.

Quidquid tenellum protulit
Natura, fecit flexile:
Quale ergo monstrum est, quæ suum
Iuventa vult morem sequi!

Iuveni arroganti nil opus
Alius astu dæmonis;
Se quando sectatur ducem,
Fit ipsemet dæmon sibi.

Ne sis tui sensus tenax:
Qui plus fati credit sibi,
Se fallit ipsum, & dæmonem
Nequissimum sibi se facit.

9. Abrumpe solita, cum tui
Oraculum suadet patris:
Haud cessat ille, qui otio
Nimium fugit negotium.

Ne, quod solet, prudentiæ
Fisus tuæ erres devius,
Ex mente mentis arbitri
Fac quod facis, fuge quod fugis.

Ni spiritalis arbitri
Vocem libenter audias,
Te semper urent anxietas
Tormenta conscientia.

10. A PANIS esu Mystici
Iustus libenter abstine;
Ne mentis obstinatio
Hoc reddat indignum cibo.

Sumpturus Angelicas dapes,
Spe pectus & metu indue:
Hæc mensa, inertis otij
Securitatem respuit.

Quoties adorandæ capis
Synaxeos mysterium,
Toties patens CHRISTI Latus,
Sacrumque fugis Sanguinem.

O Corporis IESU tui
Meam cibo sedita famem:
Tuique sacri Sanguinis,
Meam scypho leva sitim.

Tali cibo, tali scypho
Mens ebria immemor sui
Mundi que, te DEUM unicum
Solumque sola cogitet.

Tua CHRISTE IESU Vulnera
Tantâ fluunt dulcedine,
Vt quisquis illa fuxerit,
Mel omne mundi nauseet:

Vt opes, honores, gloriæ
Fumos & umbras despuat;
Crucisque gloriâ tuâ
Sectetur, oblitus sui.

Te nube panis abditum
Agnosco Numen: te colo,
Te mentis intueor fide,
Te cordis amplector sinu.

Oculum color, linguam sapor,
Manumque fallit tactio;
At sola ab auditu Fides
Te sentit, & clamat DEUM.

11. Fuge disciplinæ nauseam.
Magni æstima, quas tradidit
Morum magister regulas;
Easque discipulos doce.

Dictum monentis excipe
Hilariter, & grates age:
Miti que mente suscipe
Cæci medelam vulneris.

Redarguentem candidè
Tua facta, multum dilige:
Vult ille te similem sibi;
Facitque quod neglexeras.

Quis corporis morbo oblitus,
Medicum minoris eligat
Pretii, & perito præferat?
Ne cura sit mentis minor.

Vt corpus exinas malis
Humoribus, ferro exhibes
Secunda membra; & debitam
Habes chirurgo gratiam.

Mercede gaudet, qui secat
Vritque membra corporis.
Hinc disce mentis faucis
Medico esse gratus, & DEO.

Si turbulentus abjicis
Erroris indicem tui;
Laberculæ levis notam
Graviore damnas crimine.

Quam-

Quamvis acerbus qui monet,
Nulli nocet : qui vult tibi
Benè esse, cum voles, dabit.
Velis volenti etiam benè.

Quod vult cupido cogitat,
Non quod decet : plus est tibi
Amanda amara veritas.
Errasse se, rari vident.

Amore veri sustine
Amara; scabro pectori
Æruginis sæpe aspera
Deterfit hircum veritas.

Gravis obstinato veritas,
Est grata docili; ceu potens
Ineruditi pectoris
Rubiginem detergere.

Acerba quin redarguens
Sit veritas, nemo ambigit;
Soli sed est acerbitas
Exosa pertinaciæ.

Vice anguis est monitor tibi;
Magister, ignis: tu vice
In se ruentis es rotæ,
Freni jugique nescius.

Odiosa si sit veritas;
Si grata falsitas tibi:
Voto obtinebis omnium,
Odiosus ut sis omnibus.

Homines doceri, corrigi
Gravamur : utiliter licet,
Recteque fiat; hinc tamen
Operam modumve carpimus.

Est semper aliquid, filio
Quod in parente non placet:
Omnisque discipulus habet,
Quod in magistro displicet.

Haud aptus es sapientiæ,
Te quando ineptum diligis:
Nec qualis exoptas eris,
Nisi oderis te, qualis es.

Ama libens & suaviter
Regentis imperium pati.
Pati recusas? lapsui
Iam proximus, vel lapsus es.

Præcepta quò placent minùs,
Hòc promptius morem gere.
Ibi esse spera plus DEI,
Vbi invenis minus tui.

Animi magistros & duces
Reverenter ut patres habe.
In cælum, & in semet spuit,
Quisquis parenti obnititur.

Vbi cæca mens, viæ DEI
Ignara, confidit sibi;
Rebelle pectus obstrepit,
Obstatque luci gratiæ.

Vbi multitudo Numinis
Laborat ignorantia,
Vero simulas obstrepit,
Ignota virtus vapulat.

Fidens sibi ignorantia,
Tot monstra, consiliis malis,
Peperit, parit, pariet, Hydrâ
Sit ut Herculis fecundior.

D Mens

Mens cæca dat videntibus,
 Quod non videt spectaculum.
 Mens ægra fanis indicat,
 Quod ipsa non sentit malum.

Si spiritalis dogmatis
 Suave detrectas jugum;
 Patieris atri Tartari
 Regem tyrannum, & te tibi.

Nuper pius, reverens DEI,
 Simplex, modestus, candidus;
 Dic unde spiritum novæ
 Præsumptionis hauseris?

Mundi relictis retibus,
 Subesse amabas Præfidi:
 Hoc nauseas nunc; nunc amas
 Præesse: sis apostata.

Ne disciplinam, quam bonus
 Dextrâ magister porrigit,
 Capias finistrâ; sed tuo,
 Quod non capis, vitio imputa.

12. Vt arduam Cæli viam
 Tuto sequaris tramite,
 Te subde spiritualium
 Commilitonum cœtui.

Summas DEO grates age,
 Quod non sedes in improbis
 Turbæ otiosæ circulis,
 Sed in optimâ CHRISTI scholâ.

Via terret ascensu ardua?
 Hanc linque: se offert mitior;
 Tam grata Cælo, nec minùs
 Tibi fructuosa, quàm prior.

Vnum ad locum varia est via;
 Carpe hanc, vel istam: ni viam
 Vnam tot inter eligis,
 Mirum nihil quod devias:

Inter tot ad Cælum vias,
 Si non vel unam firmiter,
 Pressoque triveris pede,
 A toto aberrabis polo.

13. Perfectionis in statu
 Quando esse te negat schola;
 Conare, pro tui statûs
 Perfectione, vivere.

Non te loco aut statui timor,
 Tua sed voluntas alliget.
 DEI dicatus cultui
 Vult esse liber spiritus.

Est cui domus sordet tua,
 Tuique leges ordinis.
 Hunc mitis audi, aut suaviter
 Dic: Te, tuosque diligo.

Quis ordo Cælo dignior?
 Quis major? ordo amantium.
 Hos tu, sed hostes plus ama:
 Hòc major es, quod plus amas.

Malis inepti non nihil
 Olere ruris, quàm piæ
 Leges domûs temerariâ
 Urbanitate transgredi.

Quâ constitutus in rate
 Vitam ad secundam trajicis,
 In hac mane. Te homines in hac
 Posuere? disposuit DEUS.

14. Non

14. Non sacra vestis, non locus
Tuam DEO probant Fidem;
Sed pulchra Cælo militem
Morum facit mutatio.

Curas levabit non locus,
Sed cura mentis faucis.
Mutare quid fedes juvat?
Tu te ipse muta, non locum.

Ecquid loci juvet fuga?
Fugiens locum, non te fugis.
Si te bonum non dat locus,
Tu da bonum, bonus, locum.

Tun' ordinis cupidine
Confusa tecta deferas?
Quem forte præsens redderes,
Confundis absens ordinem.

Cor ignis urit? ne fuge
Sodalium, at luge gelu:
Scintilla parva maximum
Incendium sensim trahet.

Amore lucis igneus
Fratrum tenebras dissipa:
Ne linque, donec ignibus,
Paribusque flammis ardeant.

Ten' igne cæli fervidum,
Tepidos sodales linquere?
Quid si DEUS velit, tui
Vt sis Sal & Sol Ordinis?

Deesse ubi vides viros,
Ibi esse te monstra virum:
Sed absque cæli gratiâ
Dic, quàm pusillus sis puer.

Non caritatis veritas,
Nec veritatis caritas;
Sed caritatis inopia
Iunctos sodales separat.

15. Iussus domum relinquere
Cui proderas; quò mitteris,
Nec profuturus, mox abi:
Iubet Pater, jubet DEUS.

In inopiam de copiâ;
De mentis ascensu in DEUM,
In sicca mitteris loca.
Tibi perit istud? hoc manet.

De luce mentis in novam
Si voveris caliginem;
Nox cæca nil minus tibi,
Quàm clara donabit dies.

Si fortiter, si suaviter,
Pietatis ut spargas opes,
Tua damna spernis & probra;
Tibi omne erit solum domus.

Da deditos CHRISTO decem
Mundi sui que incurios:
Ab his reductus ad DEUM
Errare mundus desinet.

Si flammeas operis faces
Quietis extinguit gelu;
Cui grata risit actio,
Quiete gaudebit DEUS.

16. Te, quem DEI junxit favor
Sacro piorum cœtui,
Parere par est, & bonum
Præferre publicum tuo.

Oras ⁊ studes ⁊ proprio bonum
Commune præfer; non loci,
Horæ, vel aræ terminum,
Vt rem sacram facias, habe.

Nisi abstines à proprii
Electione commodi;
Repentè, quæ non eliges,
Te corrigent incommoda.

Virtutis est stimulus pudor.
Vbi sodales strenuè
Feliciterque rem gerunt,
Socors videri quis velit?

Fratres amore, more, re,
Ore & labore ni juvas;
Ceus fucus immunis sedens,
Aliena fumis pabula.

Indignus es vitâ, tui
Fructum laboris ni metis.
Sunt digniores plurimis,
Paucissimæ fucis apes.

Friges, nec oras, ô piger,
Sed igne discutis gelu?
Sine opere cur panem petis?
Disce absque pane mandere.

Vt panis haud desit tibi,
Apud pios habita pius:
Vbi fit voluntas Numinis,
Ibi suppetit quod est opus.

Si mente totâ, quæ DEUS
Abs te requirit, cogites;
In sanctâ abundè suppetet
Et panis & pannus domo.

17. Fili, benignam, dum licet,
In patris aurem projice
Quidquid gravat: mutus dolor
Pejora sæpe cogitat.

Aude abditos animi sinus
Aperire Confessario,
Omnesque vafri dæmonis
Suggestiones prodere.

Medici probi peritiæ
Morbos revelas corporis;
Sic mentis experto duci
Penetræ mentis explica.

Malo, quod abditum tegis,
Medela nulla proderit.
Est vulnus immedicabile,
Latère quod Medicum voles.

Omnis quidem multum tibi
Corruptus affectus nocet;
Sed qui latet sub pectore
Absconditus, sensim necat.

Fratres ut inter mutua
Pax regnet; ad querimonias
Subinde natas, filii
Responsa patris audiant.

18. Ignis novi tirunculus,
Quid æger ægris conferas?
Fert, qui jacet, lapsis opem,
Lapsis sibi que noxiam.

Iacere quando te vides,
Iacentibus differ manum:
Nec ante tempus eroga,
Quod ipse nondum possides.

Fer-

Fervore, quo Tiro cales,
Parum jacenti proderis:
Panem doloris rumina,
Et surge postquam federis.

Cur mentis umbram vix habens,
Mentis magistrum te geras?
Fit, qui professus musicum
Cantat malè, omnium jocus.

Nec surda solerter modos
Discernat auris musicos:
Nec lucis orbis, judicet
De corporum coloribus.

Ne surdus ad vocem DEI,
Et cæcus in vitæ viâ,
De spiritu sententiam
Proferre censor audeas.

Fulgère nocti nesciunt
Atrata nube sidera:
Tui DEI que nescius,
Nil lucis addes alteri.

Tenebras fugare, luminis
Nequibus expers: nubilo
Te vanitatis exime,
Ut veritatem suadeas.

Cæli antè purioribus
Ardere debes ignibus,
Quàm corda multorum queas
Pari calore accendere.

Cor antè sit templum DEI,
Hospesque sacri Pneumatis,
Quàm lingua verbi publicè
Fiat salutaris tuba.

Cutis tibi ulceribus scatet:
Aliis mederi desine.
Quàm multus in multis, cave
Tam nullus esse in singulis.

Tergère quâ sordes voles,
Ut munda sit manus, vide.
Nihilne purgandum putas?
Purganda nôris omnia.

Quis æger ægrotum juvet,
Graviore faucius malo?
Quis labe peccati nigrum
Te purget, ipse nigror?

Avidus videre cetera
Oculus, seipsum non videt:
Nec illa, lippe, sat vides,
Etiam videns, eges duce.

Speculo nihil cum cæculo
Commercii esse convenit.
Oculo cares? speculo abstine;
Oculo alieno te vide.

19. Natus labori, non potes
Vitare, quin subeas jugum:
Ne fasce curveris gravi,
Portare non pigeat levem.

Ne te, nisi imperium premat,
Multis agendis divide.
Opus unum adorna: mens vaga
Non est, ubi esse creditur.

Majora te ne suscipe:
Vitare gnarus vortices,
Et legere littus cymbulâ,
Secura tranat æquora.

Mediocris dilige:
 Extrema vita, & durius
 Vitæ genus, quàm cælitus
 Accepta suadet gratia.

Et magna, & alta mentibus
 Magnis & altis, parvulus
 Relinque; nec tuis onus
 Impar lacertis ambias.

Facile animantur, qui suis
 Minora tentant viribus.
 Maiora moliris? brevî
 Sub fasce inæquali gemes.

Omnes eodem tendimus;
 At non eadem semitâ.
 Sub fasce ne labet genu,
 Impone par humeris onus.

Qui majus adfectas onus
 Quàm sis ferendo, te minor
 Fies; iniqua viribus
 Amplexus, adstringes minùs.

Tentare, quod fieri nequit
 Abs te, recusa: te tui
 Sic indicabis cognitum
 Habere pondus ingeni.

Onus ferente fit minus:
 Major onere esto quod subis;
 Nam quò minus feres onus,
 Hoc ferre majus gesties.

Facile ut feras quod est grave,
 Adsuesce ferre onus leve.
 Vitulum tulisse debuit,
 Qui ferre cras volet bovem.

Cur fumis imprudens bonis
 Exempla de rebus mala?
 An te, quod ausus est gigas,
 Audere pygmæum decet?

20. Cerebri tumentis viscera
 Mirare; lauda, si potes.
 Molire lentus maxima,
 Et multa sensim perfice.

Sapientia est mentis quies.
 Festinat, & cæcos canis
 Parit catellos: corpore
 Currente, sæpè mens jacet.

Nemo repente fit bonus.
 Virtutis in viâ gradu
 Incede lento; collige
 Animum, deinde corrige.

Metire te tuo pede.
 Gradibus ab imis certius
 Ad summa pertinges juga.
 Vincetur à lento celer.

Virtutis ad summos gradus
 Conscende lentè & suaviter;
 Ne mentis alas fervidæ
 Tyrannus urat impetus.

Pulcherrimum est artium
 Pretium labor: magnæ rei
 Minuta sunt primordia;
 Ad summa ducunt infima.

Grano subinde parvula
 Adjunge grana parvulo:
 Nascetur ingens parvulis.
 Acervus è granis brevî.

Quod

Quod unico non fit die,
Fiat novem, fiat decem:
Quidquid negabit hebdomas,
Aut mensis, hoc annus dabit.

Primis diebus omnia
Ne posse spera; nec die
Quarto esse sanctus: ab infimis
Ad summa tende per gradus.

21. Mortale corpus crescere
Oportet, aut decrefcere:
Vis spiritus divini
Vel proficit, vel deficit.

Vide, & fatere quid tibi
Virtutis olim defuit,
Quid nunc deest: nam si tibi
Iam sufficis, nil proficis.

Si desinas ascendere,
Aut stare te credis, cades.
Quos vidit orbis firmius
Stetisse, momento ruunt.

Cessare non decet virum.
Est avida virtus, esurit,
Sirit, ardet; & quod ditior,
Hoc plus deesse conspicit.

Vocabuli præter genus
Nil feminae virtus habet:
Licet illa nomen obtinet
Muliebres, res est mascula.

De luce lumen prodeat;
Virtute virtus emicet;
Omnisque palma, ad alteram
Tibi faciat palmam gradum.

In opere cœpto firmiter
Constare, maximum est opus:
Servare donum gratiæ,
Est gratiæ summum genus.

Homini DEI pueritiæ
Nisi antè fias particeps,
Perfectionis nobilem
Virtutis haud tanges gradum.

Cordis suavis humilitas,
Humilisve cordis suavitas,
Amoris & cultus DEI
Duo firma sunt fundamenta.

22. Ne Cæli aberres à viâ,
Assuesce doctorem Angelum
Audire, ductorem sequi:
Hoc non aberrabis duce.

Clientulum sic me tuum
Tuere Custos Angele,
Ne mente, linguâ, vel manu,
DEUS quod odit, audeam.

Cur ore Custos Angelus,
Mentoque glabro pingitur?
Amat pusillis plurimum
Placere pusionibus.

23. Te manè, lectulo statâ
Dum surgis horâ, offer DEO.
Huic mentis, oris, & manûs
Opus, quod instat, consecra.

Tege veste corpus: quod jubet
Necessitas, celer expedi:
Cubile sterne: pabulum
Animo coquendum prælege.

CHRISTI

CHRISTI omne verbum, & omne
Præfente adora spiritu: (opus
Hunc Veritatis lux, Fides,
Spes, Caritasque fuscitent.

Vt humilitatem subditi
Vbique ferves spiritus,
IESU & MARIÆ omni loco
Vifam faluta imaginem.

Dic, Ad quid huc veni, frequens,
Nifi ut meipfo me exuam,
Et spiritu indutus DEI,
IESU & MARIÆ ferviam?

Pietatis hinc novabitur,
Crefcetque fervor: hinc tuus
MARIÆ amorem, & FILII
Stillabit in fratres amor.

24. Ne cordium iudex DEUS
Te strictius redarguat,
Quâ luce claufos evoment
Suos fepulchra mortuos;

Tui dies in fingulos
Cordis latebras difcute:

Neglecta, & acta, examine
Severiore judica.

Mentis recessus abditos
Scrutare; num quid omiferis,
Divina quod lex præcipit;
Aut perpetraris, quod vetat.

Felix diei claufula,
Placidi que fomni est optimum
Præludium, vigil tuæ
Cenfura conscientia.

Ineunte nocte, ne prius
Somnum cape, exacto die
Quàm cogitata, dictaque,
Et acta tecum penderis.

Quæ feceris, quæ dixeris,
Quæ cogitaris per diem,
Timore fancto fuppota,
Et ante noctem corrige.

Si quid boni peregeris;
Dignas DEO grates age.
Si quid mali commiferis;
DEO, ut remittat, fupplica.



OLIVERII FLORENTII
 VVATERLOOP,
 POEMATVM SPIRITVALIVM
 PARS SECVNDA.
 TITVLVS PRIMVS.

Fides, Spes, Charitas, Timor Dei,
 Fuga peccati.

1. **N**ihil prius Primo fuit;
 Fuit ante Principiũ nihil:
 Secũda sũt Primo omnia;
 Sunt orta Principio omnia.

Primum, atq; Principium, DEUS.
 DEUS, bonum, vnum, & omnia.
 Fons Trinus- unus omnium,
 Quo fonte manant omnia.

Emanat hoc Vno Vnitas,
 Quam dicimus primariam.
 Omnes ab hac primariã
 Huc unitates defluunt.

Essentiã unitatibus;
 Essentiis vitæ fluunt;
 Vitisq; mentes: denique
 Animi oriuntur mentibus.

Natura ab animis, qualitas
 De fonte Naturæ fluit;
 Formæque qualitatibus;
 Formisq; fiunt corpora.

Spatio tenentur omnia:
 In luce splendent omnia:
 Calore vivunt omnia.
 Per hæc reditur ad DEUM.

2. O qui bonorum es omnium
 Auctor potens, clemens DEUS;
 Felicitatis & via
 Et vita; Finis ultimus.

Tu, quidquid esse cernimus,
 Et quidquid hunc oculum fugit,
 Nullo creas molimine,
 Faciliq; conservas manu.

E

Es

Es Vnus, & Trinus DEUS,
Sine qualitate ter-optimus;
Sine quantitate maximus;
Amor animi, mentis stupor.

3. Est sempiterni Numinis
Speculum Fides: huic facem
Æterna præfert Veritas,
Sine quâ Fides non est Fides.

Felicis est speculum Fides
Æternitatis; omnia
In quo reflexa mens videt,
Quæ sunt, fuerunt, quæq; erunt.

Obscuritas est lucida,
Et lumen obscurum Fides.
Tibi tenebræ sunt, lux DEI:
Simul habitant nox & dies.

Sta, vive, permane in Fide,
Scientiâque Numinis,
Fundamine & fulcro Spei,
Amoris, atque operis boni.

Animi oculus, mentis jubar,
Et vita cordis, est Fides:
Est vita Fidei, Caritas:
Sine opere mortua est Fides.

4. DEUM cole. Hæc prima-ultima
Sit meta. Te nec prodige,
Nec prode, Nec fac alteri,
Fieri quod abnuas tibi.

His tota clauditur tribus
Beatitudo legibus.
Hanc solus infelix homo,
Homo nihili, nihili facis?

Patrem DEUM, Natum DEUM
Parem Parenti, cum pari
Vtriusque Spiritu DEO,
Supplex Fide & vitâ cole.

Quem Spiritum credis DEUM,
Verumque, adora spiritu
Et veritate; quem nequis
Vel cogitare, suspice.

Venerare IESU Nominis
Et numen, & mysterium;
Cui astra, tellus, tartarus
Caput recurvant & genu.

DEUS-HOMO IESU, Tu meus
Rex, Vita, Lumen; Tu meæ
Origo Fidei, Fons Spei,
Tu vena Amoris lactea.

Mihi da te amare, da obsequi,
Vitamque pro te ponere:
Da te Crucis sequi viâ,
Vsq; ad triumphi gloriam.

Salutis auctoris DEI,
HOMINIS-DEI omnis actio,
Omnisque sermo, sit tibi
Virtutis omnis regula.

Sapientiæ breviarium:
DEUM time; ejusque strenue
Mandata serva: in hoc homo,
Et omnis est hominis salus.

Si vis salutem consequi,
Bis crede sex verissima:
Septem à DEO pete optima:
Serva decem justissima.

Vbi

Vbi plena legis actio,
Ibi plena merces solvitur.
Condigna digno cultui
Cælum rependit præmia.

5. Præire vult N, O sequi.
Miraris? Est Nihil Omnibus
Antiquius: nõnne Omnia
Creavit è Nihilo DEUS?

Tuus quis auctor est? DEUS.
Quæ prima materies? Nihil.
Quæ forma? Imago Numinis.
Quis finis ultimus? DEUS.

Finem ad suum ultrò bestia
Contendit. O anima mea,
Finem assequaris ut tuum,
Quot incitamentis egēs!

Tibi Pater, Auctor, Conditor,
Exemplar, unus est DEUS:
Verum tuum bonum, tua
Beatitudo, & omnia.

Hunc quære, & unum cogita;
Suspira, & amplecti stude;
Nil præter illum suspice,
Qui solus est tibi omnia.

Te, sic amantem nos, DEUS,
Redamare quisquis negligit,
Vitâ carere dignus est,
Fieri que, quod fuerat, nihil.

Quem tu, DEUS, te quiq; amat,
Immensa de te cogitat;
Loquitur que de te granditer,
Gaudet que in uno Te unicè.

Cui salutem debeas
Vitam que, te totum, & tua,
Meminisse suadet æquitas,
Animi que grati gloria.

Quòd es, quòd & redemptus es,
Beatus esse quòd potes,
Omnis que particeps boni;
Hoc gloriæ debes DE I.

Esse, & benè esse, possides
Ab optimâ DE I manu:
Omnem beatitudinis
Spem, gratiæ debes DE I.

Quidquid manu peregeris,
Aut ore pulchro dixeris,
Aut mente cogitaveris;
Totum DE I da gloriæ.

Si gratiæ, si gloriæ,
Hoc quidquid es, debes DE I:
Quàm gratus esse, quàm DE I
Studiosus esse gloriæ!

Vis gratus esse Numini?
Ingratus esse desine:
Grates habere Numini,
Cor Numini gratum facit.

Totum creasti me, DEUS,
Totum redemisti; jube
Sic esse totum quod voles,
Me toto ut utaris tuo.

6. Quis imminentis præsciis
Non cogitat fugam mali?
Quis non amet, non ambiat,
Quod mente concepit bonum?

E 2

Si

Si nemo, quod nescit, cupit;
 Quàntò minùs quærit bonum?
 Si nemo quod nescit, timet;
 Quàntò minùs vitat malum?

Cæca est voluntas: nil amat,
 Nullum optat, aut ambit bonum;
 Nullum odit, aut fugit malum,
 Quod antè mens non viderit.

Timenda nosce; nescies
 Timere, quod nescis malum.
 Optanda nosce; nescies
 Optare, quod nescis bonum.

Invisâ multi diligunt;
 Ignota nemo: quod voles
 Amare constanter bonum,
 Oportet antè noveris.

Quod antè non amaveris,
 Gustare non speres bonum:
 Nec antequam gustaveris,
 Videre confidas DEUM.

Quò suaviùs gustaveris
 DEUM, hòc videbis clariùs;
 Gustabis hòc suaviùs,
 Quò fortiùs dilexeris.

O semper idem mi DEUS,
 Me noverim, te noverim.
 Me, mi DEUS, me noverim;
 Et noverim te, mi DEUS.

Quò pleniùs nosces bonum,
 Hòc ipsum amabis pleniùs:
 Quò plus amaveris bonum,
 Hoc plus timebis perdere.

Verum Bonum, summum Bonum
 Est solus æternus DEUS.
 Beate, si noscis DEUM,
 DEUMQUE notum diligis!

Virtute macete, si DEUM
 Et mente adoras agnitum,
 Et corde dilectum tenes,
 Castoque suspicis metu.

7. DEO carere te puta,
 Timore si cares DEI.
 Sequela notitiæ est Amor;
 Amoris indicium, Timor.

Tuine tam sis immemor,
 Ut velle possis optimum,
 Bonique originem DEUM,
 Miser futurus, perdere?

Ut Iudicem justissimum,
 Malæque mentis Vindicem,
 Timoris expers, audeas,
 Possis, velisque offendere?

Ut conscius tot nominum,
 Tot criminum, non horreas
 Hiantis Orci gurgitem,
 Iræque læsi Numinis?

Hiantia ut te devoret,
 Dum laxat ora Tartarus,
 Vtramque securus tui
 Audes in aurem stertere?

Hostes DEI DEUM timent,
 Timent amici. Te decet
 Timere, quem Sancti timent,
 Timentque averni principes.

Credunt

Credunt DEO, credunt DEUM
(Et contremiscunt) dæmones:
Tu, qui in DEUM nihil times
Peccare, credis in DEUM ?

Nec verba te, nec verbera,
Nec dona te movent DEI ?
Redamare amantem qui negas,
Num cor habes adamantinum ?

Iugum suave, onus leve
Cervice ferreâ excutis,
Fronte æneâ. O cor corneum,
Adamante duro durius !

8. Hunc intuere, qui bona,
Mala, præterita, præsentia,
Futuraque, uno & simplici
Oculo, semel simul videt.

Nil mentis auctorem DEUM,
Nil arbitrum cordis latet.
Clàm quod facis, vel cogitas,
Putas esse palàm, vel fore.

Oculus DEI te conspicit,
Et auris audit. Est liber
Quo dicta scribuntur tua,
Quo facta censentur tua.

Ne peccet ullus angulus,
Habe in oculis Oculum DEI.
Quem nullus angulus fugit,
Vbique te spectat DEUS.

Cor hominis inscrutabile,
Ejusque multiplices sinus
Fugiant vel Argos ; at DEO,
Quidquid homines latet, patet.

Vbique præsentis DEI
Quòd non ubique sis memor,
Illinc tuorum maxima
Enascitur pars lapsuum.

Nullum putabis angulum
Vacare teste : consciæ
Vbique menti testis est.
Sine teste nullus est locus.

Quod crimen excusatio,
Aut noctis abscondit favor ;
Et mente facti consciâ,
Et teste damnatur DEO.

Quid mente tractes, quid manu,
Nil scire refert neminem ;
Cùm testis ipse sis tui,
Idemque iudex criminis.

Te teste, ne pecces, vide.
Hoc se nocens damnat die,
Quo peccat : isto iudice,
Nemo nocens absolvitur.

Magna atque multa Sol videt ;
Majora, plura nox tegit
Delicta : mirum ! quis tibi
Gravior teipso testis est ?

Vitare, quidquid optimæ
Vitæ repugnat, te decet:
Levis vel umbra criminis
Damnatur ; haud ullum latet.

9. Quæ culpa parva, quâ DEUS
Offenditur ter-maximus ?
Majoris aspectu minor,
In maximum, fit maxima.

Est ara cor tuum, DEI
 Oraculum, sedes, thronus:
 Hoc vel levis, cave inquinet
 Cupidinis pulvisculus.

O Numinis benignitas!
 O humilitas! DEI humilitas!
 Qui fordidi cordis casam
 Inhabitat, ipsa Puritas.

Peccata, quæ venialia
 Vocamus, haud parva æstima.
 Parva esse quis putet, DEO
 Quæ displicent ter-maximo?

Quæ parva reris, multa sunt.
 At unus, & magnus DEUS:
 Arenulæ ingentem aream
 Non mole, sed numero obruunt.

An parva moles, quæ DEI
 Benignitatem proximam
 Moratur, & manum dare
 Desiderantis, amovet?

Culpam licet levissimam,
 Parvam esse reris, aut levem?
 Malum omne præter unicum,
 Hoc est malo minus malum.

Leve esse non potest malum,
 Quod maximū impedit bonum.
 Levissimi nota criminis,
 Est tartaro gravius malum.

Minora ni fugias mala,
 Majora te fugient bona.
 Ni vera devites mala,
 Te falsa decipient bona.

Minora si neglexeris,
 Periclitabitur salus.
 Messem doloris & metûs,
 Major feret prolapsio.

Minora quando negligis,
 Majora provocas mala.
 Frequenter à levissimo
 Mors est secuta vulnere.

Culpæ omnis osor vel levis,
 Te trade totum, te in manus
 Transfer DEI; haud est certior
 Præsentis index gratiæ.

Sit culpa vel levis tuæ
 Exosa menti; fiet hæc
 Tibi vita carcer, nec diu
 Has sustinebis compedes.

Pictura pulchra dicitur,
 Pars nulla cujus deficit:
 Pars nulla cujus crimine
 Est fœda, pulcher est homo.

Bonum, omne transcendit genus:
 Nullo coërcetur modi,
 Loci, figuræ limite.
 Hac lege, quando eris bonus?

10. Pietatis ô Fons, omnium
 Dator bonorum, te, optimi
 Reflexam imaginem Patris
 Contemplor, & veneror DEUM.

Decôris, ô, speciem tui,
 Sapientiæ lucem tuæ,
 Pacemque Spiritûs, meæ
 Infunde mentis turbini.

Tor-

Torporis è lento situ
Cordis veternum fuscita;
Extingue rixæ fomites;
Livoris exsuffla faces.

Extingue opum cupidinem;
Cordisq̄ue fastum turgidi
Arce; doma superfluxæ
Pruriginem scientiæ.

Da, mitis ut sim lenibus,
Durisq̄ue constans: da, minas
Ut divitis nec horream,
Nec pauperis spernam preces.

Da, Caritatis munere
Ut soler afflictum gregem:
Da, debitori ut omnia
Gratis remittam debita.

Quos mole deprimat suâ
Vitium vetus, DEUS erige.

Quos implicat tenaciter
Sopor otii, DEUS excita.

II. Est culpa, maximum malum,
Animi lues, ab eo quod est
Abitio, transitio ad nihil:
Nec aliud ipsa, quàm nihil.

Vt liber esse desinit
Extra suum piscis mare;
Sic te à DEO cùm separas,
De libero seruum facis.

Ne crede te, cùm diffuis
Licentiâ, esse liberum.
Vis esse liber? fac volens,
Libensq̄ue quod Cælo libet.

Est vera libertas, sequi
Quod vult DEUS liberrimè:
Pudore digna est & probro,
Peccare posse, servitus.



POEMATVM SPIRITVALIVM
PARTIS SECVNDÆ
TITVLVS SECVNDVS.

Pœnitentia.

1. **V**T mente constes integrâ,
Hic murus esto aheneus:
Pallere nullo crimine;
Et velle quod volet DEUS.

Vitalis in vitæ viâ
Vis progredi? Cor elue;
Et expia, quidquid DEUM
Habere nolit hospitem.

Est nominis tui unico
Extincta lapsu claritas?
Testare luctum; nomine
Te Numen augebit novo.

Et ara & aura gratiæ
Vbique singulis patet,
Quos tangit actus altiùs,
Et angit errati dolor.

Fugisse te cùm te vides,
Ad te redi: pandit DEUS
Sinum fugaci; ad hunc redi.
Redit ad DEUM, qui ad se redit.

Nulli dolenti seridò,
Est sera pœnitentia.
Te quando verè pœnitet
Peccasse, deles quod doles.

Sperare non frustra potes,
Quamdiu voles resipiscere.
Timere non frustra potes,
Quamdiu perire non caves.

Resipisce; saltem vel die
Vno ante mortem. Incertus est
Mortis dies: hodie igitur
Resipisce, cras promptus mori.

Resipisce: vix umquam fuit
Sera ad bonos mores via:
Peccasse si te pœnitet,
Coram DEO es propè innocens.

2. In lacrymis noctes age,
Et donec adspiret dies,
Precare; & offensum DEUM
Placare lamentis stude.

Errasse pudeat; concide
Vtrumque pronus in genu:
Lamenta funde, lectulum
Fletu salutari riga.

Procumbe supplex, & manu
Feriante pectus argue:
DEUS dolentis crimina
Miseretur, & luctum levat.

Quod

Quod totus annus vix dedit,
Sæpè unus abstulit dies:
Totus quod annus abstulit,
Dies, vel hora reddidit.

Bonum placebit hoc magis,
Quod perdidisse sis memor:
Placere nil magis solet,
Quàm quod repenti amissimus.

Vitæ prioris, per preces
Et lacrymas, lustratio,
Vitæ est beatæ exordium:
Hinc esse felix incipe.

Luge, & periculum fuge;
Lacrymisque pœnitentiæ
Cor, perpetrati criminis
Quod noxa fœdat, dilue.

Eme vera luctu gaudia.
Vero voluptas gaudio
Referta, veris lacrymis
Pietatis in regno fluit.

Vitæ peractæ cognitas
Absterge labes fletibus;
Divinior de gemmeis
Fluet voluptas lacrymis.

Est culpa luctuum parens;
Mens recta, mater gaudii:
Ad hanc reducit devium
Erroris agniti dolor.

Luge, beatus ut DEI
Dicaris ore. Cogita,
Si luctus in terris beat,
Quid risus in Cælis erit?

Olympo ut olim nobilem
Risum metas; exul geme,
Valli que, vallis incola,
Committe semen, lacrymas.

Pugnando fit Mars;
Pingendo, Apelles;
Pangendo, Vates;
Plangendo, Sanctus.

3. Ex monte fontes unico
Surgunt duo: falsæ duplex
Hinc amnis undæ labitur.
Ænigma solvit Magdalis.

Ah quàm juventæ, quàm mihi
Placuisse, serò displicet!
Quàm turpis, eheu, sum mihi,
Quæ visa sum nuper Venus!

Speculum, puella comptula,
Tibi opto, quod CHRISTUS mihi.
Hoc & superba vanitas,
Et pompa, vix viso, cadet.

4. Vel una apud nos lacrymula,
Delicta delet plurima:
Apud inferos, nec plurimis
Deletur unum lacrymis.

Noxæ prioris pœnitet?
Confide: tristibus genis
Pendente lacrymâ, sub DEI
Ope pendeat mens subdita.

Te plangis, & tamquam DEI
Ope destitutus ejulas?
Quò te magis miserum vides,
Hoc es DEO pr opinquior.

F

Quos

Quos feminaras haectenus,
Mirum dolores ni metas:
Peccata sementis fuit;
Ærumna reddetur seges.

5. Dolore dele crimina:
Ita feriò doleat caro,
Vt se dolere sentiat,
Et placet offensum DEUM.

Peccasse cùm te senseris,
Noli tibi ipsi ignoscere;
Sed agnitum obiurga scelus,
Pœnasque de te sumito.

Vt in medelâ vulneris
Dolore sanatur dolor;
Animo medelam sic dabit
Amara castigatio.

Vt crimen expies vetus,
Arma preces jejuniis,
Suspiriis, lacrymis, flagris;
Vindicta placabit DEUM.

Peccasse si te pœnitet,
Es ipse supplicium tibi.
Sons, vivus atque mortuus,
Foris & intus plectitur.

Peccare quantò seriùs
Cœpisti, id ipsum nunc geme,
Cœpisse tantò turpiùs:
Se ferus error aggravat.

Cùm punienda sint tua
Peccata, præveni DEUM.
Non vis ut ipse puniat?
Tu puni, ut expies prior.

Est de suo optimus DEUS,
Est de tuo justissimus:
Hanc veritatem feriò
Tertullianus ingerit.

Est de suo mitis DEUS,
Idemque justus de tuo:
Bonum coronat, quod dedit;
Quod adjicis, damnat malum.

Noxas in hoc mundo DEUS
Parcente castigat manu;
Sed plumbeâ, sed ferreâ
In altero æternùm ferit.

Hominem DEUS cùm percutit,
Homini medetur: te DEUS
Nunc terret, ut parcat tibi,
Aut velle monstret parcere.

Cùm te DEI ferit manus,
Amore te ferit tui:
Lacerat, cruentat, ut tuo
Vulnus medela sit malo.

Non te bonus finit DEUS
Gaudere peccantem diu:
Pravos coërcet impetus,
Ne te ad sepulchrum deferant.

Peccasti, & horres anxius
Ob facta damnari impia?
Submitte mentem, & in DEO
Te perde; Spe salvaberis.

Reum gementem perditâ
CHRISTUS redonat gratiâ:
Hunc à piorum cur, homo
Peccator, excludas domo?

Pec-

Peccare, res hominis fuit:
DEI benigni est parcere.
Peccasse, mox homini dolet:
Homo, dolenti sis deus.

6. Tacere noli, quod malè
Fuisse factum noveris:
Malus vidèris, cùm tuo
Malum tegis silentio.

Peccare nulli nesciunt;
Pauci cavent: & hos regit
Ratio atque virtus; vis juvat
Divinioris gratiæ.

Ævo beato vivimus;
Vix ullus errat: ut minùs,
Errasse se pauci vident,
Fatentur, heu! paucissimi.

Vult omnis ætas innocens
Audire; vult omnis puer,
Iuvenis, senex: hinc rarus est,
Qui serio sit pœnitens.

Malus vocari qui fugis,
Cur esse gaudes? Cur malum
Te non fatèris, qui tuis
Temet malum factis probas?

Quanto labores criminum
Sub fasce, vel dicet dies,
Vel Christianæ certior
Lux veritatis humilitas.

Si te inspicias, quàm plurimos
Noxarum acervos inspicias:
Dic ergo; Parvus cetera,
Sum debitor ter-maximus.

Ne crede solo tempore
Delicta deleri tua:
Si nostra temporibus latent
Peccata, parent tempore.

7. Lapsus geme, exurge ocyùs,
Et Numen offensum voca:
Mox vive, ceu vix ampliùs,
Nisi ad fatendum, sis memor.

Veterum mephitim sordium
Confessione corrige:
Bis peccat ille, qui suas
Maculas tuetur, aut negat.

Vt pace cordis gaudeas,
Vitæ prioris crimina,
Fatentis oris, & tui
Rubore vultus, dilue.

Nævos ut eluas tuos,
Velum pudoris indue:
Pudibundus ut retexeris,
Delicta, sic teget DEUS.

Ne noxius faciat pudor
Quin probra detegas tua,
Te candidâ perage fide
Sacro tribunali reum.

Virtute partam gloriam
Nova culpa delet. hanc dolens
Homini fatère; pristinum
Te tollet in gradum DEUS.

Noxas graves, quarum timet
Lucem pudor, priùs argue.
Confessio, quæ fit homini,
Fit dæmoni confusio.

Sedentis in CHRISTI throno
 Verbum verere iudicis:
 Vocem Sacerdotis DEI,
 Cæleste cense oraçulûm.

8. Culpis abundè pro tuis
 Placabis offensum DEUM;
 Hoc fine, si bonum benè
 Operaris, ut placeas DEO.

Est turpe labi vel semel:
 Tu lapsus, in gradum redi;
 Et stare perge: est turpior
 Lapsu priore, relapsio.

Affueta ne rursus patres
 Delicta, pervigil cave;
 Et cor deinceps integrum,
 Scelerisq̄ue purum, contine.

Si lucra sectaris tua,
 Horresq̄ue damna; dilige
 Virtutem, & omnem criminis
 Occasionem præcave.

Te, damna ni fugis tua,
 Amasq̄ue lucra, non amas.
 Te verè amabis, cùm DEUM
 Amabis, & fugies scelus.

Fuge laxius vitæ genus.
 In pejus est proclivior
 Licentia: illecebris favet,
 Et obvium suadet malum.

Animam antepone corpori.
 Serpentis exemplo, caput
 Ut integrum custodias,
 Expone prudens cetera.

Factum bonum, omne quòd malum
 Cautè caves: sed cogita
 Hoc esse non parvum malum,
 Cùm negligis factum bonum.

Peccati ut omnis fomitem
 Fontemq̄ue vites, à malis
 Vult abstinere te pudor,
 Mala sustinere vult labor.

Cineri propè extincto, & levi
 Si sulphur admoves foco,
 Videbis è scintillulâ
 Ignem renasci maximum.

Constans repelle, quod tuo
 Obstare senseris bono:
 Tibi quod scias hodie aut heri
 Nocuisse, cras sequi cave.

Falsas voluptates, suis
 Quæ te fefellerint dolis,
 Amasse si nunc pœnitet,
 Amare veras incipe.

Timere quando nil voles,
 Timere ne time omnia:
 Cùm læsus est piscis semel
 Fallaci ab hamo, escam timet.

Time ruinam, ne ruas.
 Quisquis ruinam non timet,
 Perit ruinâ. Quod bonum
 Potuit dari, auferri potest.

Imaginem periculi
 Extra periculum prospice;
 Vitat ruinam, qui suæ
 Primam timet rimam ratis.

Veterum

Veterum malorum te timor
 Etiam supervacuos metus
 Habere cogat: horre aquas,
 Etiam quietas, naufragus.

Onustus accedis DEO,
 Qui te gravatum subleuat:
 Ad te levatus ne redi,
 Tibi novum ne sis onus.

Te nosce: vanis viribus
 Ne fide: te fragilem vide:
 Non te latens elatio,
 Aut vota fallant pallida.

Cavere cuncta si voles,
 Timere si voles nihil;
 Ab homine despera omnia,
 Et à DEO spera omnia.

Ad omne proclivis malum
 Te stare dum putas, cadis:
 Vt serio stes, & diu,
 Diviniore opus est ope.

Vis stare? stanti innitere.
 Solus stat æternum DEUS;
 Homo labitur: facile cadit,
 Quisquis cadenti innititur.

Amat DEUS modestiam,
 Humilemque mentem: pectoris
 Odit tumorem, & virium
 Inanium fiduciam.

Si lapsus es, superbiam
 Agnosce causam. Ne cadas
 Rursus, vide ne te efferas:
 Quamdiu jacebis, haud cades.

Dubitare noli, quæ tui
 Sit causa casus: est tui
 Cordis tumor: se, qui cadit,
 Prius extulit superbiâ.

Securus imbecillium,
 Præfidis in te, virium?
 Stas ad ruinam, ni caves
 Expansa ab orco retia,

Casurus es, quisquis tuæ
 Opinioni credulus,
 Tuisque fretus viribus,
 Te posse vel minimum putas.

Fiduciæ de te nihil,
 Nihil supersit virium:
 Spem reddet, & vires novas
 Summum bonum, DEUS omnia.

Vtrumque non potes, simul
 Tibi, DEOque fidere.
 Fidis DEO? haud fidis tibi.
 Fidis tibi? haud fidis DEO.

Te nemo fidit tutius,
 Quando & tibi, & mortalibus
 Fidem negas conatibus,
 Soli ut fidem tribuas DEO.

In puppe, dic, malus mihi
 Sedi magister hæctenus,
 Mihi que ductor devius:
 Sat, & nimis meus fui.

Nunc CHRISTE clavum dirige;
 Hûc, CHRISTE, dux melior, cape.
 Te nostra deinceps tutior
 Carina decurrat duce.

9. Moriantur ut vitia ante te,
Hæc ante funus eneca:
Mortalium nemo benè,
In moribus moritur malis.

Vt nocte corpus dormiat,
Togam abjicis, sagum exuis:
Æterna menti ut sit quies,
Mores vetustos exue.

Nil te tibi vicinius.
Bonum quod in te est, à malo
Secerne; & ut crescat bonum,
Evelle radices mali.

Opinionum inanium
Exure stipulas; & stude
Adfectuum ab radicibus
Stirpes malorum excidere.

Propensiones quò magis
Frænabis aut franges tuas;
Hòc lucis in cor liberum,
Et veritatis plus trahes.

Insuesce motæ fervidos
Sedare mentis impetus,
Vt cuncta agendo, suaviter
Se fallat, & sensim domet.

Adfectuum tibi insitas
Propensiones, Numinis
Placito libenter subjice:
Pietatis hoc grande est opus.

Propensiones ad malum,
Aversiones à bono
Veroque, vinclis aureis
Divini amoris alliga.

Vt voce clames liberâ,
REX VIVAT ad CHRISTI pedes;
Vestem profanam, sed magis
Habitus profanos abjice.

Non hòc teipso te exue,
Quò nocte nudus algeas;
CHRISTO sed ut fixo Cruci,
Meliore veste, te induas.

Si passionibus mori
Optas tuis, DOMINI necem
Et Passionem cogita.
Hac morte vita nascitur.

Ne prava mentem passio
Pertentet, & vincat tuam;
Hanc sancta IESU Passio,
Mortis tuæ mors, occupet.

Amoris, ô IESU, mare,
Mors morte mortua est tuâ,
Letumque deletum: mori
Potuisse quis mortem putet?

Quis, CHRISTE, te fixit Cruci,
Mortique dedit? Amor, an furor?
Vterque me fixit Cruci,
Amor meus, furor tuus.

Vixisti, ut Agnus, innocens;
Infons, ut Agnus, occidis;
Venies severus, ut Leo:
Mihi, IESU, ut Agno da mori.

Tua, CHRISTE, quinque Vulnera
Sunt quinque nobis pharmaca:
Nam nostra, Vulneribus tuis,
Sanas abundè vulnera.

Cordis

Cordis mei tellus mala,
Olimque spinis obsita,
Cruore tincta nunc DEI,
Profer rosas, da lilia.

Quem pura mens, os, & manus
Commendat, hunc veterē liquet
Hominem exuisse; quin novum
Hominem induisse; imò DEUM.

Omni die, horis singulis,
Cum Psalte canta regio:
Dixisse, nunc cœpisse sit;
Est dexteræ Excelsi hoc opus.

Te lux honesti, te ad bonum
Fulgor decori provehat:
Impunè nil facies mali;
Immunè nil facies boni.

10. Virtutis ut teneas iter,
Mentis tuere gaudium;
Quidquid cor urit anxium,
Tristesque curas, abjice.

Præscinde curas, & metus,
Et vota quæ mentem gravant,
Ut libera ad DEUM volet;
Terrena nec ducas pili.

Antiqua damna feriùs,
Futura temporius doles:
Solùm dole præsentia;
Brevis erit, aut nullus dolor.

Ærumna si quæ in orbe sit,
Mens novit hoc malè conscia:
Si quod dat orbis gaudium,
Hoc pectoris novit nitor.

Verum merumque gaudium
Mens gaudet expers criminis.
Rarènter, & paucis datur,
Gaudere verum gaudium.

Te, cordis adfectu intimo
Sensus per omnes corporis
Exuberante, gaudium
Et pax beabit spiritus.

Pax illa quando te occupat,
Quæ filios facit DEI;
Haud tempus, haud æternitas
Auferre possit hanc tibi.

Nocere sæculi solent
Curæ, juvare neminem:
Has abjice; & quidquid potest
Turbare cordis gaudium.

Vt unus unum cogites,
Curas caducas abjice;
Et scrupulorum à pectore
Molestias procul abige.

Evelle corde scrupulos,
Et anxias formidines:
Mœrore mentem subruunt,
Et pace pectus exuunt.

Longum tibi, ni pareas,
Bellum movebunt scrupuli:
Inducias dabunt breves;
Pacis negabunt fœdera.

Humilis obedientia,
Confessionis raritas,
Et crebritas Synaxeos,
Vim scrupulorum deterunt.

Vitæ

Vitæ prioris horrida
Recurrit umbra? adi arbitrum
Secretioris consill,
Audiq̄ue diffisus tibi.

Stato die, curis procul,
Secreta cordis expia;
Quod differes negotium,
Melioꝛe claudes exitu.

In gratiâ vivis DEI?
Si vivo, servet me DEUS:
Si non, eam DEUS dabit,
Amare quem volo, aut mori.

Qui de paratâ apud DEUM
Mercede certus ambulat,
Securus inter omnium
Lacrymas hic unqs̄ rideat.

Quis dicat; In Vitæ meum
Est nomen inscriptum libro?
Quis parta nunc juret sibi
Servata Sanctis gaudia?

De te tuisq̄ue quod DEUS
Decernit, absq̄ue te facit.
Quod scire te nolit DEUS,
Quâ sorte speres discere?

Magnum putavit Socrates
Hoc scire, quòd sciret nihil.
Nos nostra, fructu maximo,
Prædestinatio latet.

Ama superni Numinis
Subesse Providentiæ.
Abire si in DEUM potes,
Sines abire cetera.

Divina judicia time,
Sed absq̄ue diffidentiâ:
Promissa spera præmia,
Sed absq̄ue præfidentiâ.

Humili in DEUM fiducia
Adjunge diligentiam.
Suam tibi offeret DEUS,
Nec differet, clementiam.

Præter DEUM si nil times,
Tuto quiescis in loco.
Mens recti & æqui conscia
Est optimæ caput spei.

Mentis bonæ securitas
Spe durioꝛe nascitur.
Grata esse spina debeat,
Quæ tot rosarum sit ferax.

Falsâ subinde nascitur
Spe, vera desperatio.
Ni spes profanas abjicis,
Spes vera non erit tua.

Spes falsa credulas sibi
Mentes ad orcum pellicit,
Vbi incipit, spe mortuâ,
Regnare desperatio.

Sepes viri, fiducia;
Fiduciæ sepes, Fides:
Fidei, DEI offensi Timor:
Sepes timoris, Caritas.

Secura ne mens diffluat,
Vel ic̄ta stringatur metu:
Ne fide, nec time nimis;
At spem timore tempera.

Doctus

Doctus spei diffidere,
Sperare disces in metu:
Sperare fuetus in metu,
In spe timere define.

Pœnas ubi nemo timet,
Ibi nemo sperat præmia.
Mala spem necat securitas,
Spem fulcit & firmat timor.

12. Nusquam, nec in tutâ viâ,
Vacuus timoris ambula:
Oblivione te tui,
Vult perditum stygius draco.

Securiorem dilue
Iugi metu fiduciam:
Invadat ut te incurium,
Dolofus anguis excubat.

Quem diabolus rectâ videt
Securius euntem viâ,
Vanis eundem erroribus
Involvit, atque obnubilat.

Vbique laquei, ubique sunt
A retibus pericula:
Est ipsamet securitas,
Periculum unum, & omnia.

Est arduum, multos simul
Vitare laqueos: cùm tibi
Deesse censebis nihil,
Deesse cernes omnia.

Menses & anni defluunt,
Vix ortus, occidit dies:
Tot obsidemur hostibus,
Vt hora non vacet metu.

Et ludibundi vivimus,
Ceu mortis & vitæ inscii.
O cæca mens mortalium!
Spes vana! vota inania!

Est nulla securo fides.
Dum ludis intrepidò, DEUS
Tremenda de modico facit:
Habet & pilus pondus suum.

Lessum frequenter cogita,
Luxum execrare: ut inclytus
Miles triumphet, imminens
Certamen antè cogitat.

Armare pacis tempore:
In pace securus nimis,
Frequenter incertissimam
Victoriam in bello facit.

Armis cave securior
Semel secundis credere:
Fastum triumphi non semel
Contemptus hostis abscidit.

Sæpè ira vires dat novas,
Ab hoste quæ sperni dolet:
Iræ columbis sunt suæ,
Et tela sunt apibus sua.

Hostem, vel imbellem, time:
Capillus umbram habet suam.
Nil tam minutum, quod suâ
Spe non sit & vi præditum.

Vbi minimum est metûs, ibi
Causa est timendi maxima:
Vbi vita ridet, proxima
Et certa sæpè mors latet.

G

POE-

POEMATVM SPIRITVALIVM
PARTIS SECVNDÆ
TITVLVS TERTIVS.

Tres Animæ Hostes.

1. **T**E quæritât Dæmon, Caro, Bello fatigat virginem
Et Mundus, & IESUS tuus: Hostis triplex; Mundus procax,
Cui te volens parti dabis, Caro insolens, Dæmon ferox.
Hæc sola te capiet suum. Cæleste regnum vis rapit.

Si te Caro, aut Dæmon malus, Terni Sophistæ, inertibus
Aut Mundus inueniat suum; Vel inermibus nectunt dolos:
Vnus tribus leonibus Horum unus est Logicus Satan;
Voranda præda factus es. Duo Rhetores, Mundus, Caro.

Te solus inventum tuus Tres unus hostes protere:
IESUS beabit, & tibi Mundum recessu despice;
Semet quoque inventum dabit. Iejuniis Carnem doma;
Res tanta nōne sufficit? Cacodæmonem fuga prece.

Te, ni DEO cor subjicis,
Carnis ligabunt compedes;
Laterumque versabit lutum
Captiva in Ægypto manus.

Ægyptio si displicet
Curvare cervicem jugo;
Divini amoris te suis
Beet catena nexibus.

O lumen in tenebris DEUS,
Solamen in discrimine,
Cæcos, & ignaros viæ,
Per tot pericla nos rege.

Dæmon.

2. **T**E cingit hostis invidus,
Audaciâ promptissimus,
Vi fortis, arte callidus,
Nullius ignarus doli.

Vulpes dolo, leo robore
Est noster hostis: at minùs
Leonis est robur tibi,
Quàm vulpis horrendus dolus.
Nil

Nil hoste pestilentius,
Qui non videtur, & nocet.
Qui tela vites? non vides;
Nec Mars, nec ars te liberet.

Nimis maligni dæmonis
Aut laxat, aut stringit dolus:
Est ambidexter, te viâ
Vult hac vel istâ perdere.

Se fronte apertâ tartarus
Haud prodit: insidiæ latent
Sub formâ honesti: tu cave
Coloribus fidem dare.

Damno carebis, hostium
Si dona pro dolis habes.
Nil ulla ab hoste munera
Morare, donatum gravant.

Grave esse consuevit malum,
Quidquid bonæ specie rei.
Fictio sub aspectu latet.
Persona fallit: abjice.

3. Mille aureos si repperis,
Reddésne? ait genius malus.
Quid tunc agendum? dic, Scio:
Quid tunc agam, nunc nescio.

Si solus hostem repperis
Solum; quid? hunc dabis neci?
Quid tunc agendum? dic, Scio:
Quid tunc agam, nunc nescio.

Si sola soli femina
Occurrat? an stabit pudor?
Quid tunc agendum? dic, Scio:
Quid tunc agam, nunc nescio.

Te Marte tecto pervigil
Lacessit hostis, ut DEUM
Sermone vel vitâ neges:
Hunc furdus audi rhetorem.

Ne turbet instinctus mali
Suadela, nil metuas nimis:
Flat ventus, & frondes quatit;
Quid castra, & arma cogitas?

Vt frondium strepens sonus
Timidum animal lepusculum
Dat in pavorem; mollius
Sic umbra pectus territat.

Vitii, quod intus abnuis,
Vim nil obest foris pati.
Quem corde damnas, corpore
Sentire motum nil nocet.

Te cuncta agentem, suaviter
Quæ suadet aut jubet DEUS,
Turbare nulla spiritus
Potest maligni suasio.

Vt sponte jejunes tuâ
Cur suadet orcus? Neminem
Obtemperantem; millies
Ter mille jejunos habet.

Sibi publicanus displicens
Manducat; & placet DEO:
Jejunus, & placens sibi
Pharisæus orat; & perit.

4. Nemo DEI absque gratiâ
Quidquam boni vult, aut valet:
Nec ullus insidias potest
Vitare vafri dæmonis.

Illectus orci fraudibus,
 Sanctæ Crucis signum explica:
 Hoc obsidentes dæmonas
 Ages in horribilem fugam.

Incurfat orcus ? ad pedes,
 Manus, latusque confuge:
 IESU pedes lacrymis riga,
 Rue in manus ; latus bibe.

In aperta CHRISTI Vulnera
 Immerge te ; trans mitte te
 In explicata brachia:
 Latebis hinc tutissimus.

Tuum cor in IESU tuo
 Cum vivet, & quod amat DEUS
 Amabis ; audebis mali
 Ridere latratum canis.

5. Colubro caput celer obtere,
 Ne cauda virus evomens
 Incogitantem te necet.
 Obstare principiis juvat.

Sic viribus pugna tuis,
 Majore ceu carens ope.
 Victo hoste, victori DEO,
 Et Gratia grates age.

Cave culpam in hostem vertere;
 Te nosce fontem : criminis
 Abs te ignis est, dæmon malus
 Hunc perflat, & flammam excitat.

Age, & quiesce: fac manu;
 Speculare mente: duplici
 Hinc orcus arte vincitur;
 Vtraque formidat vices.

Ora, labora, dæmonis
 Pulvinar otium fuge:
 Osor laboris, cogitans
 Quod optat, optando fugit.

6. Vt quas tetendit tartarus
 Securus evites plagas,
 Dic Virgini : Fac sit tuus
 Benignus in me Filius.

Fac per Parentis ubera
 Tibi benignum Filium :
 Et Filii per Vulnera
 Exposce propitium Patrem.

Apud bonos si filios
 Sunt matris imperium, preces:
 Tibi, DIVA, pro me supplici
 Parebit ultrò FILIUS.

Vt aure credulam tuam,
 O Virgo, concipis Patrem;
 Da Mater, ut sic me tui
 Fecundet aura Filii.

Per VIRGINIS vestigia
 Graffare ad aulam Cælitum:
 Hæc universis lactea
 Ad astra panditur via.

Florum Parens cælestium
 MARIA, virtutis tuæ
 Legentibus vestigia,
 Ostende palmam gloriae.

Fit, Virgo non carens viro,
 Mater sine viro. Fit Parens
 Parentis, ipsa Filia,
 Et Sponsa sancti Numinis.

Si

Si debuit nasci DEUS,
Decebat ut de Virgine:
Si Virgo parere debuit;
Decebat, ut páreret DEUM.

Caro.

7. **H**Vc te Caro, illuc Spiritus
Trahit misellú, & abstrahit.
Vtrique sit pax mutua;
Et orbe toto pax erit.

Est quisque vicinissimus
Hostis sibi: una plus nocet
Caro, inquilinus proditor,
Quàm mille démonum phalanx.

Nemo alteri est inimicior
Quàm tu tibi: si nemini
Voles perire, seridò
Cave teipsum; vel peri.

Nulla est cavendi occasio
Tibi negligenda, domestico
Ab hoste. Quod contemnitur,
Citiùs venit periculum.

Vis bis perire? bis perit,
Quisquis suis armis perit.
Bis interibis, si tuis
Escam ministras sensibus.

Bellare si vis sensibus,
Vt Christianus audias;
Ne sensibus præbe fidem.
Qui fidit hosti, dat manum.

Credendo speras sensibus
De sensibus victoriam?
Vires dat hosti, sensui
Qui credit in re spiritûs.

Cor Numinis doctum Fide
Iucunda pascit veritas:
At sensui cor credulum,
Molesta torquet vanitas.

In hoc triumphat veritas,
Cujus cor irradiat Fides:
At fallitur, mendacibus
Qui præbet aurem sensibus.

Oculos & aures noxiis
Spectaculis, sonis, nega:
Linguam coërce: sensibus
Vigore mentis impera.

Qui sensui humano studet
Placere, menti displicet:
Animo placebis hoc magis,
Quò sensibus minùs places.

Divinioris spiritûs
Gustare mella non potes,
Nisi sensuum antè dixeris
Longum voluptati Vale.

8. Tibi mater esto; jus docet:
Sed & noverca; vis jubet:
Ne præda factus sensibus,
In rete tendas tartari.

Corrupta si violentiam
Natura sentiat tuam;
Bonum magistro non bono
Hac arte discipulum dabis.

Incus ut ingens stridulos
Contemnit & ridet sonos;
Infracta sic mens, corporis
Stringat rebelles impetus.

Vt imperet mens sensibus,
Noctem precando transige;
Asinum flagellis erudi;
Coriumque setis defrica.

Lascivientem funibus
Concède nodosis cutem;
Vestemque setis horridam
Adstringe cinctu ferreo.

Domesticum fame & siti
Hostem doma: urticis, flagris,
Nodisve terre Dæmonem,
Mundi que ride ineptias.

Dulces humi somnos cape:
Corpus flagellis excita:
Noctu diuque inter pias
Perfiste sobrius preces.

Ne fortè mens superbiam,
Aut membra morbū contrahant;
In membra ne sævi, nisi
Probante mentis iudice.

Vis corpus asperioribus
Cruciare nodis? Arbiter
Dissuadet animi? desine
Tibi esse durus, & DEO.

Crucibus, flagris, siti, fame,
Vexare quid corpus iuvat,
Si non per ista flectitur
Cervicis erectæ rigor?

Tecum tot annos dimicas,
Corpusculo & cuti gravis;
Cur plena nondum contigit
De te tibi victoria?

Opinionis pristinae,
Et inolitis affectibus
Mille intulisse jam neces,
Non distulisse, oportuit.

Bis victor esse si voles,
Te vince, victis hostibus.
Bis vincit ille, qui suâ
Se vincit in victoriâ.

Ni te beatis proximum
Faciât tui victoria;
Miserrimos ages dies,
Aliis molestus, & tibi.

Dimitte grata sensibus;
Admitte grata Numini:
Victor tui, leve senties
Cœpti quod instat ardui.

Vis gaudio mentis frui?
Labore corpus confice.
Cùm membra destituit vigor,
Tum læta mens risum parit.

Abrâmus id docet pater,
Qui non prius pater fuit,
Risumque genuit, quàm gravi
Ætate fractis viribus.

10. Ad crimen allicit Caro?
Propone flammâs; & vide
Indigna quàm sit res viro,
Turpi lupæ succumbere.

Levis

Levis ignis in lignis latens,
Hæc urit, & cinerem facit:
Nos, ligna sicca, amor levis,
Levis urit ignis, & vorat.

Ab igne lignum fit cinis;
Fit ignis aura: nos amor,
Levis amor, in cineres agit;
Levis aura, turpis est amor.

11. Horresce fulmen Numinis,
Qui more belluæ tuum,
Vel non tuum, turpi audeas
Fœdare flagitio torum.

Doctore teste melleo,
Vitæ sacerdos lubricæ,
Omni luto est impurior,
Omni cloacâ spurcior.

12. O qui per ignes ingredi
Nudis amas vestigiis,
Erras; nec illæfos feres
Ab ignium morflu pedes.

Impuritatum fomitem
Horresce: tutius puta
Timere millies benè,
Quàm vel semel malè fidere.

Celeres, leves, & lubricos
Mens feminæ motus habet:
Sed pervicaci feminâ
Nil vivit obstinatus.

Mala est malû, bona est bonum:
At sæpè, quàm vir, femina
Melius bonum, quando est bona;
Levius malum, quando est mala.

Vultum procacis feminæ,
Iuvenum luem, funus virûm,
Certamque perniciem fenum,
Fuge, angue pejus & cane.

Ne lætiore femina
Te fronte decipiat, cave:
Ficto subesse vultui,
Non verus assuevit decor.

Ne blanda te vox feminæ,
Aut picta frons fallat, cave:
Fugacis esca gaudii
Longos dolores occulit.

13. Est temporis spoliolum breve,
Et munus infidum decor;
Tibi commodatum, non datum,
Hero ut placeres, non tibi.

Formosa quæ nuper fuit
Puella, turpis est anus.
Hanc qui vides, unâ vides
Quàm forma sit bonum breve.

Formosulæ quando cutis
Depascet ætas gratiam,
Vivum cadaver nemini
Domum placebit ducere.

14. Fuge curioso lumine
Comptam videre feminam:
Est sæpè forma pulchrior,
Turpissimi semen mali.

Oculi procaces, aut duces
Aut illices sunt ad malum:
Oculis carere te juvet,
Cæcare qui mentem queant.

Si

Si pulchritudo corporis
In mente picta te capit,
Oculos preme, ut vites scelus:
Ad crimen itur per gradus.

Impura prurientium
Ad carmina ædes aurium
Occlude: pectus debile
Verbi ferit lascivia.

Plerisque cantus mollior
Fomes fuit libidinum;
Et curiosis auribus,
Vox blanda, pro lenâ fuit.

Aures loquelis turpibus,
Et mollioribus sonis
Occlude cerâ; ut spiritûs
Mentem recludas vocibus.

Femella fallax abditos
Sensus & affectus gerit:
Frons, vultus, os, oratio
Malè mentiuntur sapiùs.

Animal dolosum est femina:
Habenda tum demum bona,
Cùm se malam palàm gerit.
Hunc, qui sapiis, fucum fuge.

Est turbidarum aut turpium
Magistra rerum femina.
Cave, tuarum ne terat
Hæc larva limen ædium.

Nihil boni mulier mala
Sanas in ædes adferet:
Cave, cave, nocentius
Sparget venenum viperâ.

Amans pudoris, ne logos
Cum feminâ longos habe:
Vrit videndo femina:
Sed colloquendo conficit.

15. Rarenter hospitium terat
Femella, vel numquam, tuum:
Multò minùs cum feminâ
Tecto sub uno mansites.

Ne solus, & sine arbitro,
Sine teste cum solâ sede.
Quidquid tibi adfingi potest,
Linguæ loquaci subtrahe.

Cupedias, munuscula,
Epistolâsq; blandulas,
Profana flamma missitat:
Hæc ignis ignorat DEI.

Samfone non es fortior,
Davide non es sanctior,
Salomone nec sapientior,
Quos forma stravit feminæ.

Mortalium qui robore
Genus omne Samson vicerat,
Est arte victus feminæ.
Samfone non es fortior.

Formæ decor, solus locus,
Promissa, blanditiæ, minæ,
Sunt quinque mortis femina:
Fuga, & prece hæc elimina.

Ferit arte vulpes, cornibus
Bos, calce equus, rictu leo,
Vngue ursa: quinque bestiiis,
Formâ puella plus nocet.

Res

Res sunt dracones pessimæ,
Res pessimæ sunt aspides:
Sed pessimas inter feras,
Est feminæ virus duplex.

Malum, maliq̄ue fomitem
Fontemq̄ue vita, feminam:
Cognata quamvis, aut soror,
Haud cessat esse femina.

Amas sororem ? feminam
Fuge : Logicus stygis vafer
Celabit altu sanguinem,
Ostendet arte feminam.

Fuit, est, eritq̄ue femina
Generalis instar regulæ.
Hæc fallit in multis; vide
Ne fallat illa in plurimis.

Si mente verfas turpia ;
Adesse cogitatum
Testes tuorum Cælites
Cense, teipso iudice.

Nisi hostis es superbiæ,
Inimicus iracundiæ,
Livoris & libidinis ;
Hostes habebis Angelos.

Stimulat libido ? mox fuge
Præsentis ad opem Numinis:
Et impudicum dæmonem
Verbis minisq̄ue territa.

Libido jugis ignis est,
Ignarus absque te mori :
Vitalis ignis dum viget,
Illum æger, & senex time.

Parcit libido nemini:
Non te ægra membra, non locus,
Non sparsa canis tempora
Ab hujus eximant metu.

Juvenile luxuries probrum,
Virilis ambitio lues,
Tortura avarities senum,
Tria monstra mūdum fascinant.

Et carnis, & pecuniæ
Æquè est cupido sordidus
Iuvenis voluptatem fuge;
Auri famem expugna senex.

Dulce est voluptatis caput,
Amara cauda : millies
Ingressus ejus blandior,
Quàm sit futurus exitus.

Sic dulcis in falsum mare
Decurrit amnis ocyus:
Vbi æquoris falsuginem
Gustaverit, falsum fluet.

Time voluptatis dolos,
Cui mœror & dolor it comes:
Vbi mella fuderit palam,
Clàm cæca figet spicula.

Bulla est voluptas ; disperit
Vix orta: Virtus, & boni
Facti perennat gloria,
Senii necisq̄ue nescia.

Fuge blanda ; dura amplectere:
Ingressus horum territat;
Egressus illorum necat.
Ride minas ; vita necem.

H

Quæ

Quæ te voluptas in sinu
Fovet supinum, cogitat
Stragem propinquam : forficem
Stringit minacem Dalila.

Ne crede blando vultui:
Tam magnus est prudentiæ
Amor tyrannus, quàm puer
Parvus Cupido pingitur.

Vita voluptatis dolos,
Animi que labes ceteras:
Cupidinis servus tuæ,
Nulli imperabis libero.

Iuvenum querela est, & senum;
Vitæ voluptas ah brevis!
Vita ô voluptatis brevis!
Vtramque uterque despice.

Quid sunt opes, epulæ, joci?
Quid pulchritudo corporis?
Quid est voluptas sordida,
Nisi fungi, & umbræ, somnia?

Placens figura, inanium
Opum que pompa, labilis
Formæ venustas oculis,
Orbis que luxus præterit.

Famæ, sui que prodiga
Libido, damni incuria,
Ferocis instar manuli
Effrenis in vetitum ruit.

Quia turpis est libido,
Et ipsa turpitude,
Tenebrarum amica lucem
Fugit, & fugit videri.

Avis implicata glutine,
Gemino labori subjacet;
Et corpus ut visco eximat,
Pennas & emaculet suas.

Si corporis cupidini,
Et sensibus morem geris;
Quis te explicabit nexibus,
Tractasque sordes eluet?

Pudore primos impetus
Fœdæ voluptatis doma.
Iuvenes, senes maculat, necat:
Iuvenum probrum, pestis senum.

Amor, Crucis CHRISTI memor,
Carnis domat petulantiam;
Et morte mulctat improbos
Animi rebellis impetus.

Pudoris hostem fustibus
Doce pudere feminam;
Vel exacutis unguibus
Ejus nota petulantiam.

Vt castitatis hostium
Victor triumphes, si sapias,
Pugnare noli comminus;
Sed, more Parthorum, fugâ.

Fœdæ voluptatis sitim,
Opum caducarum famem,
Honoris appetentiam
Extingue Numinis metu.

Pudoris illæsam nivem
Crede esse donum gratiæ;
Nec hanc, novâ absque gratiâ,
Servare spera gratiam.

Pudoris

Pudoris amissum decus
Sarcire gemitu, odio tui,
Afflictione spiritûs,
Carnisq̃ue suppliciiis, stude.

Animo medere lacrymis,
Ieiunio, multâ prece:
Non est reperta spiritûs
Morbis medela certior.

Vt servitutum debitam
IESU & MARIÆ servias;
Cordis dicati lilium
Precibus fove, lacrymis riga.

Tibi corporis flos integer,
Cordisq̃ue puritas placet?
Quæ sors vel insons cogitas,
Deprome in arbitri sinum.

Ne quære, num libidini
Victæ volens accesseris:
Hæc cura vulnus innovat,
Ignemq̃ue sopitum excitat.

An senseris malum, an malo
Consenseris, ne discute:
Quæ vexat, aut quæ displicet,
Nec est voluptas, nec placet.

Tibi castitatis lilium,
Et frontis arridet pudor?
Misereſce lapsi turpiter,
Ne turpius mox corruas.

18. Nolis nitere vestibus,
Quò provoces lasciviam.
Malum est, bonis uti malè;
Malis malè uti, pessimum.

Te liberali munere
Natura finxerat virum:
Cur te refingis feminam,
Et arte pejus eligis?

Est turpe, feminæ mares
Præferre mores: feminam
Castam, probam, modestiæ
Et frontis ostendit pudor.

Oneres an ornes te, vide:
Non tegmen, at tectum tibi
Imponis, & sic non tuum
Ornas, sed ædificas caput.

19. Cur impudicis virgines
Chartas lituris inquinat?
Es paginæ exemplar tuæ:
Vas fundit id quod continet.

Musas amantem, virgines
Amare virginem decet
Chartam; atque versus virgines
Servare, chartâ virgine.

Nescire cùm scias typos
Chartam tueri virginem;
Mirare, nostra quòd procis
Tradam typis tetrasticha.

Dum quæris in Vatum libris
Sermonis elegantias,
Obscœna castum fabula
Pectus latenter inficit.

Cur Heva peccavit prior?
Eclipsis est Lunæ frequens;
Est rara Solis: propior
Est femina ad lapsum viro.

H 2

Res

Res condidit cunctas DEUS :
 Dedit vir illis nomina.
 Quid mulier ? aliquid ? an nihil ?
 Hæc verba largiter dedit.

Cur est viri sublimior
 Quàm feminæ prudentia ?
 Capitis fuit vir filius ;
 Fuit Heva costæ filia.

20. Dant nuptiæ mortalibus
 Optatum, at ignotum malum.
 Qui liber antè vixeras,
 Vxore ductâ servus es.

Formæ, atque nummis antefer
 Mores futuræ conjugis.
 Qui nuptias aliter paras,
 Ad pœnitentiam volas.

Sine dote nupta, diligens
 Et casta, dotata est fatis.
 Est casta, de quâ nec jocus,
 Nec fama mentiri audeat.

Amet vir uxorem suam ;
 Vxor marito præpareat :
 Sui illa cor est conjugis ;
 Sux ille conjugis caput.

Vxor marito ut sit proba,
 Haud debet esse superior,
 Sed obsequens : ruet domus,
 In qua vxor imperat viro.

Studiofa pacis femina,
 Negotiorum nexibus
 Domi ligata, quæ foris
 Audit, filet discrimina.

Rumoris, aut togæ, aut fagi,
 Aut nuptiarum, aut funerum,
 Aut litium strepitu, cavet
 Aures mariti tundere.

Vt pax sit inter conjuges,
 Et una mens, unus animus ;
 Vtriusque conscientiam
 Gubernet unus arbiter.

Odit DEUS libidinem ;
 Amat fideles conjuges :
 Viduum facit pluris torum ;
 Cor virginale deperit.

Rosa pulchra spinis obsita,
 Est par fidele conjugum :
 Meliore natos semine
 Dat virgo plures liberos.

Devotionis in viam
 Est apta duci femina ;
 Viris juvari dignior,
 Se posse qui plus autumant.

Est virgo brachii brevis,
 Sed cordis & cerebri integri,
 Aptanda Virginum gregi :
 Externa nil pensat DEUS.

Quæcumq; virgo est, in se habet
 Et spargit innocuum jubar :
 Cui casta mens est, hæc nihil
 Proferre non clarum potest.

21. Cur Virgo proles Virginis,
 Amat clientes Virgines ?
 Miraris ? atros candidi
 Corvos olores non amant.

Au.

Audire, & esse Virginis
Matrisque qui gaudes eliens,
Aram verere, Filius
In qua immolatur Virginis.

22. Haud ventre qui latrat fame
Oritur, sed è pleno, Venus:
Nec ventre obeso nascitur
Acuta contemplatio.

Inopem Venus fugit domum,
Amica & hospes copiae:
Mare, ignis, & mulier tria
Timenda sunt homini mala.

Vigila pudicus, sobrius:
Virtutis & Sapientiae
Inimica pestis & lues
Sunt pluma, venter, & Venus.

Te si semel captum tenent
Libido, vinolentia,
Aut livor, aut daemon malus,
Mox mente destituent bona.

Odium boni, malus oculus,
Cupidinis praecipuus calor,
Tria haec malorum pessima,
Hominem sibi orbique auferunt.

Id omne quo carnem voles
Fovere, spiritum gravat:
Socordiam venter satur,
Et mentis exilium facit.

Ne ventris appetitui
Remitte habenas laxius;
Sed parciose pabulo
Carnis doma lasciviam.

Aestus voluptatis malae
Frenare vina nesciunt;
Quin pota largè mortuam
Resuscitant libidinem.

Vt affluente fomite
Exardet ignium furor;
Sic vel sepultam suscitatur
Bibacitas cupidinem.

Vix obrutum corpus cibis
Casti pudoris est tenax:
Nam flamma robur, lignea
Sibi strue admota, capit.

Adversa pugnant mutuum:
Mens ventris abdomen terit;
Mentisque flammam igneam
Obscurat alvi vastitas.

Nemo unus atque idem potest
Duplex opus bene facere:
Nimis edere, & satis agere;
Bibere nimis sapere satis.

Dum pascis abdomen putre,
Stulte laboras; ut tibi,
Et ceteris valeas nihil.
Sibi ventriosus est onus.

23. Vitae Charybdis venter est:
Quidquid labor jugis parit,
Id omne venter devorat:
Nec dicere assuevit, Satis.

Nunc esuris; nunc, quas dapes
Voraris, eructas satur:
Vigilas, quiescis, solvere
Dubites tot actus flatibus?

H 3 Men-

Mentem malam palpo bibax
 Divendit : amentes emunt:
 Famem ille ponit, & sitim;
 Si quid reponit, vendidit.

Fœtens mero, laurum voras;
 Omnesque speras fallere.
 Frustrâ: omnium se sibilus
 Laurum bibisse dicitat.

Vbique apud viros graves
 Infamis est intemperans:
 Concordiæ aut commercii,
 Lascivia & laus nil habent.

Celare possis omnia,
 Duobus exceptis, mala:
 Quòd ebrius sis, aut ames,
 Oculi revelabunt tui.

24. Quòd plura te Liber loqui
 Docebit, hoc sapiens minus:
 Bacchus coëgit plurimos
 Inepta contra se loqui.

Silentio convivia
 Ornare disce, vel senex
 Sermonis, inter pocula,
 Parcus senex, miraculum.

Cùm vinolentus in tuum
 Invectus est nomen; puta
 Istud tibi convitium
 Fecisse vinum, non virum.

Cum mente mens debet loqui:
 Sed mens abest ab ebrio.
 Vide ergo cum quo litiges:
 Si cum ebrio; absentem feris.

25. Satùr datori non solet
 Habere venter gratiam.
 Ingrato habenas contine,
 Ne plenus ad pejus trahat.

Ventrem doma: cibi modum
 Qui nesciet, modum sciet,
 Què vel secet fluctus rate,
 Suæque serviat gulæ.

Ne liber animus corpori,
 Sed corpus animo serviat:
 Somni, cibi, potûs modum
 Mens dicet; observet caro.

Vt multa quando ingesseris,
 Sic pauca venter accipit,
 Nec plura poscit, cùm caret;
 Sed moribus morem gerit.

Ventri latranti da, dato;
 Da quod meretur pabulum:
 Da temperanti largius,
 Intemperanti parcus.

Quod corpori fat est cibi
 Potusque, sume quod fat est;
 Ne somnolentâ ignaviâ
 Animus gravetur, aut dape.

Da quod fatis sit corpori;
 Pro mente pugnet quod fat est:
 Non lædit hanc, nec impetit,
 Sed virium augmento juvat.

Hunc sume, quem fames cibum,
 Potumque flagitat sitis:
 Necessitati quod dabis,
 Nil conferet cupidini.

Vnum

Vnum lubenter subtrahe
Genio bolum. Comedas parum,
Comedere si multum voles:
Parum bibe, ut multum bibas.

Remittitur parvo fames:
Non est molestus creditor;
Minus reposcit debito.
Sic redde; ne des quod potes.

Cibi ac meri cupidinem,
Merito famis, merito sitis
Metire. Deliciis gulæ
Homo mancipatus, fit pecus.

Ardentio rem sobriis.
Restingue potibus sitim.
Sapiens bibit, ne post bibat:
Sed potor, ut bibat, bibit.

Si sanus optas vivere:
Quod profit, & possis, bibe:
Longos dolores corpori
Brevis voluptas parturit.

Vt multum edas, edas parum:
Consuetam vitam protrahit
Dieta. Tam nimius nocet,
Quam debitus prodest cibus.

Torporem & ingluviem cave,
Luxusque fluxam conspue.
Dulcedinem: solo sale
Mens læta panem condiet.

Alternata delectant. Aqua.
Potata semper, displicet:
Diluta menti sobriæ
Falerna profunt, & placent:

Medela vinum corporis:
Tutela mentis est aqua.
Misce: hospes & custos erit
Mens sana sani corporis.

Vim mentis vnda temperat,
Augetque pota sobriè.
Illam suborta crapula,
Luxusque obesus obruit.

Inesse qui solis putas
Mortem venenis, falleris:
Quò plus habet mellis gula,
Hoc sæpè mortis plus habet.

Homo esse cessa, vel gulæ
Dominare: vitæ consulit
Edens leo; mortem cibus
Et potibus ne provoca.

26. Iucunda præter se omnia,
Ieiunium hesternum facit:
Et panis atri frustula
Educat anterior fames.

Stude salutis: sobriâ
Morbum diætâ corrige;
Nec tempus aut locum, tui
Doloris auctor, argue.

Diu, ut labores, & fatis,
Ede, bibe, dormi sobriè:
Cur istud à Medico petas,
Quod ipse, si vis, das tibi?

Valere quò melius voles,
Hòc sis ciborum parcior:
Tuæ salutis plurimum
Debes, voluptati parum.

Ægro

Ægro medela est corpori,
Tutela sano, sobriæ
Exacta vitæ regula.
Modicus cibi, Medicus sibi.

Constans diæta, est omnibus
Medela morbis optima:
Te posse crede nemini
Meliùs mederi, quàm tibi.

Animæ salutis aut corporis
Nocitura quæ nôris, fuge;
Medicum vel expecta trucem,
Intemperans æger, pati.

Odora si te suavitas,
Gratûsve gutturi sapor,
Tactûsve vincat mollior,
Vir antè, fies femina.

27. Ede, bibe, dum licet, domi:
Convivii frequentia,
Multusque risus, aut jocus,
Sapientiam pellunt loco.

Nec mensa lautior tibi,
Nec ulla dulcior quies,
Nec alibi vita lætior
Est obtinenda, quàm domi.

In mensâ honestâ pauperis
Humilis recumbes suaviùs,
Quàm si superbâ te dape
Impinguet aula divitis.

Te plus juvabit, sumptibus
Parata nullis cœnula,
Quàm lautiora prandia,
Quæ somniando struxeris.

Vbi, quod est sat, suppetit,
Inempta præstant pabula,
Quàm cœna delicatior,
Multis parata sumptibus.

28. Prudentioris mentis est,
Homo salivæ virginis:
Vino madens, sibi excidit:
Natante, mens natat, domo.

Iejuni & oris sobrii
Saliva serpentem fugat.
Orci draconem, pabuli
Abs te repellat parcitas.

Cujus cor occupat merum,
Libido, livor hunc premunt:
His lacrymæ, fitis, fames
Medentur, & calidæ preces.

Cor sobrium, superfluis
Non impeditum victibus,
In mentis arcem sæpiùs
Fusum receptabit DEUM.

Vitam & salutem corporum
Curare nos quidem decet:
Sed cura nobis sit prior
Æterna mentium salus.

Fauces ut in mensâ cibum,
Sic & suum aures hauriant;
DEIque Verbum in intimum
Penetrare mentis inferant.

Curam & salutem corporis
Medici docebunt te libri:
Hic disce verus esse homo;
Mens clara, plena Numine.

Mundus.

Mundus.

29. **D**ilecte Cælo, sæculum
Fuge: solus & fuge, & bibe
Suavitates optimi,
Quas turba nescit, nectaris.

Divinioris spiritûs
Extingue poculo sitim:
Sitiendi, abundè suppetit;
Fastidienti, deficit.

Quietus optas vivere?
Duo discè; Mundum spernere,
Mundoque sperni. Nulla erit
Mundi æstimatori quies.

Cælo imperantis Principis
Si castra decernis sequi,
Cælum vide: arce spes opum,
Et inopiæ formidinem.

Lætanter omne fac bonum;
Et omne declina malum,
Mali que suadas, gloriam
Mundi, voluptates, opes.

Inscriptus albo Cælitum,
Curas relinque terreas;
Curas inanes exue,
Multoque spes victas metu.

Araneorum inutiles
Contemne telas: parvulus,
Simplexque mente, sæculi
Subtiliora negligè.

30. Est Mundus infamis procus;
Fugâ pudori consule:
Rubeum, simulque candidum
CHRISTUM tibi Sponsum lege.

Cum pura mentis incoles
Sacra, & summum Bonum
Summè placebit, altior
Tellure, temnes cetera.

Nec feceris, nec dixeris,
Nec videris, quod non decet.
Te semper, atque in omnibus,
Contrarium Mundo gere.

Si te assequendæ nobilis
Virtutis ardor occupat,
Accepta Mundo dogmata
Pro falsimoniis habe.

Te da DEO: Mundi, & tui
Propter DEUM obliviscere.
Hic magna non magnis latet
Inclusa verbis veritas.

Tibi, Munde, res tuas habe:
Nec ullus umquam sit tui
Mihi amor amicus: fidere
Desisto, deceptus semel.

Dic: Res tuas tellus habe:
Mihi nihil est tecum rei;
Nunc rebus exutus tuis,
Ad astra liber evolo.

Immunde Munde, dic, tuas
Tibi res habe: quod nunc sequor,
Mortale non est. Te, DEUS,
Nudum sequor fixum Cruci.

I O te

O te beatum, cui datur
Terrena mella temnere!
Qui te tuâ, CHRISTUM Ducem
Secutus, oblectas cruce.

Dic: VNUS est DEUS omnia:
Mihi nihil est, prorsus nihil
In Orbe, quod non est DEUS:
Meus amor est fixus Cruci.

Exosculari nobiles
VNâ nequis fixos Cruci
CHRISTI pedes, & fordidum
Amare telluris jugum.

Est vile, telluris jugum
Amare, stulti: qui sapis,
Exosculari nobiles
Fixos Cruci CHRISTI pedes.

Manfura quid fluxis times
Mutare? servus es DEI:
Tua forma factus est DEUS,
Ne forma non fieres DEI.

HOMO-DEUS pro te tuum
Scelus piavit, non suum:
Et rem putabis arduam,
Emisse terris fidera?

Si vis beatus vivere,
Si vis beatior mori;
Sic vive, præter ut DEUM
Nihil ambias, ames nihil.

Qui fecit è nihilo omnia,
Est ille solus omnia.
Quod fecit è nihilo DEUS,
Est omne præ DEO nihil.

Rebus relictis omnibus
CHRISTI obtinere gratiam,
Est singularum & omnium
Tenere rerum copiam.

31. Nil à DEO non impetras,
Si mente calcas cetera.
Re, teque vacuus, es tui
Rerumque plenus omnium.

Caduca disce spernere,
Disce abdicare, & perdere:
Tunc possidebis omnia,
Habere cum voles nihil.

Mens & voluntas cum tua
Telluris est propè immemor,
Solius es memor DEI,
Vitamque vivis simplicem.

Tibi vita simplex ducitur,
Mens quando, quando Memoria,
Quando Voluntas, sæculi
Inanis, impletur DEO.

Vt cælicâ spe gaudeas,
Spes pone terræ. Proximam
Instare mortem cogita.
Hominem exue, ut DEUM induas.

Rebus libenter ceteris
Carebis, unitus DEO;
Amore si tenes DEUM,
Tenes in illo cetera.

Re nudus omni, Rex eris
Totius Orbis. Omnium
Egenus, in te habens nihil,
Habebis in DEO omnia.

DEO

DEO dicatus, casibus,
Causisq̄ue, curisq̄ue & modis
Mundo relictis, unicè
Cura ut vaces uni DEO.

Mens fæce fœda sæculi
Cæleste lumen haud capit:
Rubigo cordis ferrei
Dulcedinem excludit DEI.

Mens scabra, fimo sæculi
Crustata, quærens omnia,
Nil quærit; extra se nihil
Cernit, nec à se cernitur.

Mens quando rebus exteris
Renuntians in se redit,
Externa cernit in sacrâ
Centro quietis omnia.

Felicitas est, sæculi
Felicitatem spernere;
DEOq̄ue cultum, ac debitum
Amori amorem reddere.

Mens orta Cælo, quid tibi
Cum fæcibus negotii,
Quas terra stultis venditat?
Peregrina, quære patriam.

Dicata Cælo, Numini
Devota Mens, mortalibus
Remitte rebus nuntium.
Vni, nec una sufficis.

32. Est Mundus exiliû; omnium
Et maximum & miserrimum.
Hoc crede: & exilium puta,
Et carcerem esse sæculum.

Tellure si voles frui;
Cælo exulabis: te tuam
Amare patriam negas,
Amare si exilium potes.

Fuligine atque sordibus
Vulgi jacentis altior,
Fastum, lucrum, spes ludicras,
Et vota stulta despice.

Nec magna, nec mediocria,
Caduca quæ vides, puta:
Nec parva, nec mediocria,
Æterna quæ sunt, æstima.

33. Inter tumultus plurium,
Orbisq̄ue curas, nil move.
Vnus quiesce: haud natus es
Curas ut orbis augeas.

Vt mentis in silentio
Æterna spectes, te prius
Tibi vindica, & tumultibus
Negotiorum subtrahe.

Quò te magis tumultibus,
Mundiq̄ue curis implicas;
Hoc Christiana in te Fides,
Spes, Caritasq̄ue fit minor.

Mundi procellis quò magis
Os & cor involvis tuum;
Eò magis magisq̄ue te,
Cæliq̄ue ductum deseris:

Tranquilla puri pectoris
Gaudere si vis gaudia;
Orbis caduca despice,
Æterna sola suspice.

34. Si liber optas vivere,
 Affuesce continuò mori;
 Cupidini, atque sæculo
 Suas habere res jube.

Licentioris sæculi
 Nil liberum mores habent:
 Legi obsequens, docilis DEO,
 Scit quid sit esse liberum.

Ne crede, quæ mens arguit
 Licentiæ, esse libera:
 Parere mentis lumini,
 Hoc esse liberum puta.

Sat liber es, quisquis pium
 Firmumque pectus gestitas:
 Sub servitute cetera,
 Et noctis obscuro jacent.

Vitam hoc in orbe liberam
 Sic vive, sic animum gere,
 Ac si sepulto corpore
 Mens inter astra degeret.

Sic fige cor Cælo, ut supra
 Opes, honores, cetera
 Sublatus, hoc volubili
 Imiteris ævo Cælites.

Pietatis orbe semina
 Qui tollit, orbem eviscerat:
 Dixisse plus licuit; necat,
 Orbisque vitam orbe exuit.

35. Te sola securo pede,
 Mundi per anfractus vagos,
 Viasque inexplicabiles,
 Amica ducet Veritas.

DEI fideli lumine
 Absente, per rerum avius
 Abrupta, veri nescius
 Errabis, ignarus boni.

Immersus exterioribus,
 Interna nescies bona:
 Contentus interioribus,
 Externa negliges bona.

Pacis beatæ munere
 Desperet ille perfrui,
 Qui fluxa vitæ commoda
 Amat, cupitque perditè.

Ne crede, posse te soli,
 Cælique deliciis frui:
 Vnius horæ gaudium
 Sequetur æternus dolor.

Mansura in ævum cogita.
 Peribit, instar somnii,
 Terrena cogitatio,
 Ævi perennis immemor.

A terreis & vilibus
 Pretiosa, mente separa:
 Honestus hic placeat tibi,
 Pretiique quantivis labor.

Terræ relictis sæcibus,
 Mirare cælestes globos:
 Humi morari respuit
 Divina mentis indoles.

Ama per altos nubium
 Volare tractus: infima,
 Vilemque despectans humum,
 Te digna regna suspice.

Cæli

Cæli micantis aureos
Vide supina mens globos;
Solisq̄ue contempla jubar,
Mox terra sordebit tibi.

Miratus astrorum globos,
Terrena cense, & compara:
Crescet minori maxima
Collata mundi portio.

Amor faceffe sæculi:
Amor Instituti nobilis,
Divinioribus mihi
Pectus fodit calcaribus.

Amore Cæli non cales?
Cales amore sæculi?
Te vanus exercet labor,
Aut inquieta inertia.

Animæ quietem diligis?
Placere mundo negliges:
Sprevisse mundum debuit,
Cui parta mentis est quies.

Sunt falsa in orbe gaudia,
Veri dolores: est quies
Incerta, certus est labor:
Spes parva, maximus metus.

Si mente tranquillâ boni
Verique fontem possides;
Auferre nil poterunt tibi
Externa, nil poterunt dare.

Si non fugis quod possides,
Non possidebis quod cupis:
Res ut trahas quibus cares,
Amare noli quas habes.

Sta mente rectus; nec jace
Salutis immemor tuæ:
Prudens omitte quod fugit;
Quod est perenne, cogita.

Quid corde ad ima cernuo,
In spes inanes promines?
Mors quando te, & res dividet,
Abibis, & spes desinet.

Si te tot annos frivolum
Lusisse curam non pudet;
Cælo labores debitos
Pudeat locare sæculo.

Contemne transitoria;
Mansura lauda. Mundi amor,
Luctûs origo. Gaudii
Fons & caput, mundi fuga.

36. Res terreas, res temporis,
Bona fluxa, pro minimis habe;
Spretoq̄ue disce sæculo,
Æternitati vivere.

Tempus fluit; ne prodige:
Æternitati proximus,
Æternitatem proximam
Tibi beatam fabrica.

Momenta fluxi temporis
In spe & labore transige:
Nam sola mansuram tibi
Æternitas pacem dabit.

Mansura suspira bona,
Caduca calca: quidquid est
In orbe splendidum, puta
Nugas, nuces, crepundia.

Sunt vita nostra nundinæ:
 Eme, vende, permuta; facit
 Ingens lucrum, cælestibus
 Terrena qui mutat bonis.

Negotiare, dum vacat;
 Lucris stude perennibus:
 Post tempus hoc, nullum rei
 Aliud gerendæ suppetet.

37. Diffide momentaneis;
 Orta occidunt: mortalium
 Mortalis est felicitas:
 Perenne sub Cælo nihil.

In orbe quidquid sensibus
 Blanditur, illud illicò
 Ceu verna marcescit rosa:
 Sunt certa menti gaudia.

Bullæ instar, orta sic perit
 Sensus voluptas; gaudium
 Mentis perennat: hoc fove;
 Vives senectæ nescius.

Virtutis est brevis labor;
 Victura in ævum præmia:
 Fluxi voluptas temporis
 Damnum perenne parturit.

Amore temporalium
 Ne sempiterna prodige:
 Lucrare; mansuris bona
 Caduca commuta bonis.

Puris amata mentibus
 Æternitas summi boni,
 Fastidium terræ parit,
 Cæli creat suspirium.

Vt ambias perennia,
 Pereuntibus cor exime:
 Peritura quisquis ambiet,
 Privabitur perennibus.

38. Vt sponte mansuris bona
 Æterna commutes bonis,
 Revolve inexplicabilem
 Æternitatis circulum.

Post evoluta millies
 Millena mille sæcula,
 Intactus, integer manet
 Æternitatis circulus.

Colorem in album nec niger
 Vmquam revertitur color;
 Nec ulla ab orco te via
 Reducet. Æterna est domus.



POEMATVM SPIRITVALIVM
PARTIS SECVNDÆ
TITVLVS QVARTVS.

Via Crucis.

I. **B**Inæ per orbem sunt viæ:
Vnam frequenterit Cain;
It rarus Abel alterâ.
Nomen pufillo da gregi.

Cælo exul, ô terræ incola,
Quid quæris ad Cælum viam?
Descendit ad te cælitus
Hæc ipsa, quàm quæris, Via.

Est arcta, clamat Veritas,
Quæ ducit ad vitam via,
Et trita paucis. Tu stude
Augere paucorum gregem.

Speciosa ridet, & patet
Spatiosa ad Inferos via:
Sed arcta, visuque horrida,
Ad Astra ducit semita.

Angusta si non te via
Adducat in latum locum:
Te lata in angustum via
In fine perducet locum.

Qui quæris ad Cælum viam,
CHRISTI vide vestigia,
Sculptumque saxo sanguinem:
Hac itur ad Cælum viâ.

Est strata plurimâ Cruce,
Ad Astra quæ ducit via.
Cruenta Cælum scanditur
Per Martyrum vestigia.

Pauperculis, mœrentibus,
Placidis, modestis, mitibus,
Æqui bonique amantibus,
Cæli parantur atria.

Quicumque parcè seminas,
Parcè metes: fuge inertiam.
Ad ampla cæli præmia
Et vi & labore fit via.

Haud mollis è terris via
Ad Astra ducit: æstimat
Amatque prudens aspera,
Quæ stultus odit, aut timet.

Virtutis est gravis labor,
Et grandis ad Cælum via:
At visa merces grandior
Viæ laborem deterit.

Nil possit esse molestius,
Nihil laboriosius,
Nil arduum aut durum nimis,
Ad Astra quod sternit viam.

Quis

Quis dicat, æternam sibi
Constare magno gloriam,
Qui viderit de nupero
Lictore factum Martyrem?

Vives beatus, cùm bona
Bonis parata noveris,
Cùm noveris, ditefcere
Labore quantillo queas.

Est longa Virtutis via:
Totam simul si prospicis,
Totam relinques: quis rate
Simul omne transmisit mare?

Fit, quando fert opem DEUS,
Facile quod arduum fuit:
Cælo favente, pallium
Aut vimen, est ratis loco.

Virtutis accessu ardua,
Ne terreat mollem via;
Ad hanc amœna, si lubet,
Te duco per viridaria.

2. Palmam præit victoria:
Sed anteit victoriam
Certamen, & luctæ labor.
Optas potiri? stet pati.

Ne, qui inter electos cupis
Vitæ notari in codice,
Pati recuses: est gregis
Character electi, PATI.

Insigne Romanum fuit,
Et fortia facere, & pati:
Nunc Christianum est. Nomine
Es Christianus? re proba.

Est Caritatis maximæ,
Mala sustinere maxima:
Tolerare damna ingentia,
Ingentis est patientiæ.

Armare te patientiâ,
Cur, Christiane, negligis
Cùm tot molesta inter mala,
Vitare non possis PATI?

Adversa ferre fortiter,
Fortem decet verè virum:
Perferre dura suaviter,
Est Christiani pectoris.

Egisse vincit fortia,
Res una fortior, pati:
Animi reconditas habet,
Servatque opes patientia.

Ne cede, recta mens, malis;
Sed ito contra audentior.
Debent simul cor vividum,
Et difficultas crescere.

3. In Sanctitatis ingredi
Templum cupis? Crux, regia
Est porta. Si illuc alterâ
Tendis viâ, invenies nihil.

Meliora, docti cælitus,
Charismata æmulamini;
Et regiam Crucis gradu
Inite constanti viam.

Via pacis, est amor Crucis:
Hanc ingredi quisquis voles,
Ama Crucem; sed amabilem
Inter cruces, DOMINI CRUCEM.
Tuam

Tuam ut feras, & præferas
 Omni voluptati crucem;
 Hanc, nõ nisi in CHRISTI Cruce,
 CHRISTI que amore, respice.

Est pro Fide CHRISTI crucem
 Subire, semen gloriae.
 Æternitas unam crucem
 Centum repensat laureis.

Cùm magnus urit te dolor,
 Mœroris æstum ut mitiges,
 Majora CHRISTI respice
 Tormenta; despicias tua.

Sit nudus, & fixus Cruci
 Hominis DEI que Filius,
 Baculus viæ, lasso quies,
 Pax anxio, vitæ scopus.

CHRISTUS cruentus, & lacer,
 Humeris suam tollit Crucem:
 Simon iuvat. Tu fer tuam;
 CHRISTUS ferenti fert opem.

CHRISTO, Cruci que debitam
 Sperans salutem, fac bene.
 CHRISTUM illa pro nobis tulit,
 Tulit iste pro nobis Crucem.

Tormenta, quæ tuus tulit
 Rex & Redemptor, adspice:
 Hæc passus est, tuum ut suo
 Amore amorem suscitet.

Amore IESU, tot mala
 Patientis in tuum bonum,
 Hoc præbibente, fel bibe,
 Absinthium que devora.

4. Plures labores & cruces
 His dat DEUS, quos plus amat.
 Quò crux labor que; erit amplior,
 Hoc plus amoris colliges.

Stringat, premat que te DEUS;
 Luctare Iacob, dum bene
 Tibi dicat: ille te abjicit,
 Ut seruet; ut det, abnuit.

Est vena IESUS gaudii.
 Mœrore pro IESU tuo
 Lætus labora: erit merum,
 Tibi mœror iste, gaudium.

Cùm dulce amarum erit tibi,
 Amara fient dulcia:
 Amara quondam, per Crucis
 Sunt facta lignum dulcia.

Amore qui IESU cales,
 Ejus que sub Cruce militas,
 Spera perenni lumine
 Hujus sub umbrâ perfrui.

Gemmis & auro nobiles
 Cruces ama: sed aureæ
 Præfer coronæ spineam,
 Quæ gloriae gignat rosas.

DEI Parentem Virginem
 Imitare: præsepe, & crucem
 Amat; sed Ægyptum suo
 Comitata IESU non fugit.

Flentem MARIA IESULUM
 Audit; canorem, ovium duces.
 Partem MARIA si optimam
 Elegit; hanc & tu elige.

K.

In

In monte Thabor non fuit
 MARIA, sed Calvariæ.
 Bona illa pars; hæc optima:
 Bonâ abstine, fruire optimâ.

Sors varia.

Cur Petre montem splendidum
 Amas, & obscurum fugis?
 Hic fufus audebit cruor
 Splendore solem vincere.

Novi calorem spiritûs
 Comitabitur tentatio:
 Ut obviam sumas Crucem,
 Compose mentem, ne ruas.

Lactatus es? jactaberis;
 Prius Angelus, post vix homo:
 At dura lætanter pati
 Iam doctus, eris Homo-angelus.

Placidi favorem Numinis
 Si mutat aura discolor:
 Cuncta esse cum scias DEI,
 Sine esse; te serva DEO.

Quam ventus incurfat frequens,
 Solidatur arbor; stringitur
 Vexatione, & altiùs
 Agitata radices agit.

Non obstinatis ictibus,
 Longève luctæ tædio
 Cadat animus: quam vult DEUS
 Firmare virtutem, probat.

Seu fel propinet gratia,
 Seu mella stillit; Numini
 Modò servias, modò placeas,
 Cur susque deque non habes?

7. **L** Vgebis, ut post gaudeas;
 Gaudebis, ut post lugeas:
 Amara nexa dulcibus
 Vitæ catena continet.

Sperasne jure gaudium
 Mœroris expers, ô homo,
 Gaudere? vera non potest
 Carere vita lacrymis.

Timebis inter suavia;
 Sperabis inter aspera.
 Hæc vita: gaudio dolor
 Cedit; dolori gaudium.

Tenore res vario fluunt.
 Mortalium rector DEUS
 Vtramque sortem dividit:
 Timet homo vanus, aut tumet.

Metuit in arctis, in bonis
 Cæco insolescit gaudio:
 Hunc recta mens non dirigit,
 Sed æger affectus trahit.

Breves in horas mobilis
 Hæc vita ridet, aut gemit:
 Et unde diviti metus,
 Hinc pauperi spes nascitur;

Spem nutat inter & metum;
 Audet, fugit, vult, abnuit,
 Amat, odit, exultat, dolet,
 Vitæque vivit immemor.

8. DEI

8. DEI eruditus spiritu,
Variabiles vitæ vices,
Et dispares rerum exitus
Pari intuere lumine.

Fit hora nemini bona,
Quæ non sit alteri mala:
Nec hora fit cuiquam mala,
Quæ non sit alteri bona.

Securiora gaudia
Carere ne puta dolis.
Diffide lætis: ni times,
Vincêris; imò victus es.

Vbi omnium perpenderis
Rerum vicissitudinem;
Secunda te non efferent,
Adversa te non depriment.

Fortuna quamvis aurea
Tibi, tuisque rideat;
Relictus à patientiâ,
Diu esse felix non potes.

9. In rebus æternis tuam
Felicitem colloca:
Tuum nec esse censeas,
Fortuna quod fecit tuum.

Volubili plures Deæ
Faciunt sacrum; pauci litant.
Fortuna in hos est pessima,
Qui promerentur optima.

Quid ejulas, aut ringeris,
Querisve quod benè sit malis,
Malè sit bonis? Numquam simul
Duo regna sunt, Mundi, & DEI.

Luit absque culpâ vir bonus,
Non absque causâ. Quod DEUS
Opus probat, quis improbet?
Solutus, quod egit, hoc agit.

Iustè alteri donat DEUS,
Quod alteri iustè eripit.
Mutantur humana omnia,
Varioque voluntur modo.

10. Fortuna, si quid ea Dea
Est, nominatur, fingitur;
Nos sæpius ludos facit:
Cur non & ipsam ludimus?

Quos ficta ludos exhibet
Fortuna, pro ludis habe.
Mentes sumus, non corpora:
Haud illa tanget, quod sumus.

In orbe nil constat diu;
Nil est perenne; casibus
Sors cuncta versat. Hanc fidem
Admittis? amittis tuam.

Sors ridet, ut vides, tibi;
Sed te, vide, ne rideat:
Spondet quietem: sed labor
Speciem quietis opprimit.

Sors ore ridens blandulo,
Vultus resumet asperos:
Vernantis est instar rosæ;
Vere orta, Vere concidit.

Sors dona partitur sua;
Sed ludit, & donat nihil.
Quod arbitraris hanc dare,
Deponit, ut repetat semel.

K 2

Quie-

Quiete quando propriâ
Contentus es, vel commodo,
Adversus eventus tibi
Stultam quietem subruet.

Cùm fors sinistra te solo,
Spem præter, adflixit semel;
Quâ forte prosperum velis
Sperare, quidquid imminet ?

Obesse non erit semel.
Contenta fors: iterùm oberit.
Nullum tibi eveniet malum,
Quod non sequatur alterum.

II. Ridente sorte, sis memor.
Solonis, & proverbii:
Sors læta perdit neminem,
Quem non prius stultum facit.

Humana mens felicibus
Sublata rebus, immemor.
Sui, futuri nescia,
Servare vix novit modum.

Rebus memento prosperis
Servare cunctanter modum:
Dum cuncta pro voto fluunt,
Lætas quatit mœror fores.

Attenta semper mens tua
Vbiq̄ue vigilet, ne novi
Concussa forte turbinis,
Quæ stabat antè, cõncidat.

Quò fluctuantis altiùs
Te sortis aura sustulit ;
Hòc ad ruinam pronior,
Tergo propinquam, promines.

Facilè citoq̄ue frangitur,
Cùm maximè fulget, vitrum:
Sors quando ridet prospera,
Mutationem cogitat.

Res læta mœrorem trahit ;
Sors blanda captatum venit:
Tunc est habenda maximè
Suspecta, quando est prospera.

Fortuna nulla est, aut levis:
Citò reposcit, quod dedit.
Cùm delicatè pranderis,
Verè ne cœnes malè.

Quam fluxa produxit dies
Felicitem, non ames :
Struxisse quam valuit dies,
Dies valebit solvere.

Rerum secundis flatibus
Noli ante mortem credere:
Scit nemo mortalis, sibi
Ventura quid vehat dies.

Rebus secundis si potes
Tumere, sat nondum sapis:
Suam quis umbram conspicit
Crevisse post victoriam ?

Hominem vicissim res facit
Adversa timidum ; res facit
Tumidum secunda: sic tuus
Timore ponatur tumor.

Te stringe, quando maximè
Sors obsecundat aurea:
Venti sub aurâ prosperi
Inflata vela contrahe.

Ventos

Ventos voca Favonios,
Quos vulgus adversos vocat:
Favere quos vulgus putat,
Vir justus adversos habet.

Desiderata calamitas,
Virtutis est occasio:
Quò te secunda non tulit,
Rebellis aura subvehet.

Te quando pinguis otii
Securior laxat quies,
Deplange fortem: adversitas
Virtutis est occasio.

Si te, quasi in lento mari,
Felicitate torpidum
Iners habet tranquillitas;
Dilatus es: fluctus time.

Nihil minus fors tollere,
Quàm quidquid attulit, potest.
Zephyro modestus utere,
Euro paratus, & Noto.

Quàm fluxa sit mortalium,
Et quàm brevis felicitas;
Quàm sit caduca gratia;
Iosephus, & carcer docent.

Nihil stultius, quàm prosperis
In rebus insolescere:
Quæ silva cælo creverat,
DEO volente fit cinis.

Est forte Virtus tutior:
Illa impetus rerum levis;
Hæc clavus est vitæ. Fuge
Intuta; tuta amplectere.

Res omnium dignissima est,
In prosperis Prudentia:
In rebus adversis nihil
Honestius Patientiâ.

Adversa quem non dejicit,
Res nec secunda effert nimis,
Hic mentis & sapientiæ
Fructum latentis indicat.

In prosperis cùm te geres
Prudenter, his addet DEUS.
Quod læta prosperitas bonum
Aperit citò, leviter perit.

Quò se altiùs Sol extulit,
Umbras minores hòc jacit:
Prudentior mens leniùs
Inter secunda se gerit.

Abitura sperne; ne tibi
Cor efferat res prospera:
In corde circumfer DEUM;
Imitare Matrem Virginem.

12. Humana perfer suaviter;
Divina constanter cole:
Mentem bonam DEUS sui
Accendet igne spiritûs.

Adversa qui non sentiat,
Marmor sit ille, non homo:
Adversa qui Patientiâ
Vincit, vir est, ingens homo.

Extrema cùm te res premit,
Tibi una sit vinci salus,
Putaque damnum vincere:
Iactura cedit in lucrum.

Beate, quem Crux erudit !
 At ille ter quater miser,
 Quem sæculi, suique amor,
 Excludit à scholâ Crucis.

12. Iobus quot inter turbines,
 Quot & ruinas, optimâ
 Spe firmus, admirabili
 Constantiâ erectus stetit!

Inimica vis pecus abigit;
 Quod restat, ignis devorat;
 Vna universos protinus
 Sèpelit ruina liberos.

At iste quid Iobus fuit ?
 Non ulcerosus, at merum
 Fuit ulcus, innocentia
 Exemplar, & patientia.

14. Est, hoste qui caret, miser,
 Inertiaeque proximus:
 Nam maximum sine minimo
 Non vincitur periculum.

Si mente, quam subis crucem,
 Iniquiore sustines;
 Ornare quo te vult DEUS
 Honore, te indignum facis.

Te vita damnat, aut beat,
 Ignara Purgatorii.
 Crucis amas ? Paradisus est.
 Horres crucis ? Infernus est.

Tuam DEO ut probes fidem,
 Vexationes æstima:
 Nullam fer ægrius crucem,
 Quàm vivere expertem crucis.

Quò duriora gesties
 Amore CHRISTI perpeti;
 Hòc clarius signum tui
 Amoris in CHRISTUM dabis.

15. Nostris pudor languoribus
 Sit barbaræ gentis rigor,
 Quæ se, cruenta ferreos
 Artus, suis sacrat Diis.

Minas, vir, horres, & cruces ?
 Sexus & ætas debilis
 Virgunculæ, convitium
 Ignavia faciunt tuæ.

Blandina torta clamitat;
 Sum Christiana. Tu tuos
 Inter dolores dic frequens:
 Sum Christianus; aut file.

Vis Margaritæ nomini
 Parem referre imaginem?
 Tibi sub pedes esto draco,
 In corde crux, cor in DEO.

36. Crux, carcer, ærumnæ, rotæ,
 Lacerationes artuum,
 Ignes, catenæ, compedes,
 Ad astra tollunt spiritum.

Nec verba declarant fatis,
 Nec sensus exactè capit,
 Vnùs internæ crucis
 Quàm digna sit tolerantia.

Sic temperantur singula
 Momenta rerum, ut omnia
 DEO duce in bonum bonis
 Cedant, & in malum malis.

Spes

Spes inter adversantia,
Est mentis infantis nota:
Nisi innocens sis, vix queas
Sperare de malis bonum.

Famem, sitim, internas cruces
Amore CHRISTI ama pati:
Hoc luce mentis, hoc DEO
Est pace cordis gratius.

Oculis DEI fordet magis
Vitii cupido vel levis,
Quàm quòd molestâ sub cruce,
Tenebrisve sordium gemas.

Cupita si perfeceris,
Crescet cupido; & hinc dolor,
Mœriorque. Tu cave prior;
Placeatque amarities minor.

Virtutis unica uncia,
Tenebras sed inter aridas
Ex mentis orta vertice,
Aliis trecentis prævalet.

Tibi sit satis, vitam tuam
Quòd mentis arbiter probat:
Sentire, vel probabili
Ratione nosse, nil juvat.

Inter tenebras, & cruces,
Quæque orbis hic gignit mala,
Cæci instar, unâ sub DEI
Incede providentiâ.

In re molestâ nil move,
Quin mente tranquillâ prius
Æternitatem videris.
Hoc te docebit Humilitas.

Quocumque consistas loco,
Vbique IESUS imperet;
Vbique vivat Humilitas,
Vbique regnet Caritas.

Adflante vento naviga;
Vertente, siste paullulum,
Aut flecte vela: Numinis
Stude voluntatem sequi.

Magnum atque vicinum DEO,
Non concuti. Tranquillitas
Est optimæ mentis status,
Obtemperantis Numini.

In orbe nil adeò ferum,
Quod viva non domet Fides:
Fide cor adfixum DEO
Procella nulla concutit.

Vera in DEUM fiducia
In rebus arctis cernitur.
Cum spes in angusto tua
Luctatur, est DEUS propè.

17. Pax cordis ô DEUS; ô bonæ
Dulcedo mentis, omnium
Nitela rerum, tu mei
Compone fluctus pectoris.

Mihi CHRISTE vinum deficit,
Aqua est bibenda. At imminet
Intercutis periculum:
Morbum, Salus mea, præveni.

Ne quod prius dederas, neget,
Aut perditum hostis exprobet.
Sed; anne sentio? quid hoc?
Mutata vini munera.

Ada-

Adamus, Abraham, Moyfes,
 Prophetæ erant primum merum;
 Aqua Pharifæus: optimi
 IESU meri es vivus latex.

18. Nulli malo in re turbidâ
 Submitte pectus; spem tene:
 Spes sola, te nixum DEO,
 Nec morte in ipsâ deseret.

Si cuncta quæ tibi accidunt
 De Numinis sumas manu;
 Gaudebis omni de bono;
 Nullo dolebis de malo.

Mortalis in vitæ mari,
 Tua mens juvanti Numini
 Sit nixa: talis neminem
 Vmquam fefellit ancora.

Fingat, refingat, ut lubet,
 Quod vasculum è luto DEUS
 Formavit: illi credita
 Perire nulla res potest.

Felicia adversus DEI
 Sperare providentiam,
 Noli æstimare simplicem
 Amentiam: est duplex furor.

Si non voluntatem tuam
 DEI ad voluntatem ligas,
 Aptasque; vitam turbidam
 Vives, & incerti exitûs.

Hostis furit? quid angeris?
 Tuos ad unum omnes DEUS
 Numerat capillos: ceteris
 Timere quid membris potes?

Meliora quàm tu cogites,
 De te DEUS deliberat.
 A rebus arctis plurimos
 Erexit adflictos DEUS.

19. Mala sustine, quæ non nisi
 Malè sustinenti, sunt mala:
 His abstine, quæ non nisi
 His abstinenti, sunt bona.

Nihil labores in Cruce,
 Ex hoc vel illo fit tibi
 Ligno eligenda; amplectere
 Quam Numen elegit Crucem.

Crucem tuam fer; alteri
 Suam relinque: munia
 Commissa nemini invide:
 Sua cuique crux; nil est nimis.

Aliena plus placent, tuæ
 Te quando fortis pœnitet;
 Aliis tua: at pauci velint
 Mutare, si ad rem venerint.

20. Fer dura lætus, ne malum
 Mœrore stulto duplices:
 Conferre solamen solet,
 In re malâ bonus animus.

Invitus ille nil facit;
 Decreta qui pensat DEI.
 Quod ille vult, cum non queas
 Vitare, quin lubens velis?

Solamen, ut careas, habe:
 Care, ut habeas: non res duas,
 Carere, habere, unam puta:
 DEOQUE da quod accipis.

Inter

Inter dolores suavitas,
Pax inter iras te virum
Ostendat: hoc oleo tuæ
Fac flamma vivat lampadis.

Molesta cùm fers suaviter
Tranquillus inter turbida,
Virtutis exhibes tuæ
Illustre testimonium.

Quod durius fuerit pati,
Meminisse spera dulcius.
Si ferre nolis aspera,
Sperare noli prospera.

Vbi est gradus patientia,
Ibi fortitudo fit status:
Ad pacis altæ gaudium
Te subvehet patientia.

Patiens doloris fac bonum;
Es liber à violentiâ:
Ad rem malam cogi nequit,
Qui scit dolorem perpeti.

Quò plus laboris hauseris,
Plus coxeris molestiæ,
Mercedis hòc te plus manet:
Vincet dolorem gaudium.

Benè est, quòd assuescis cruces
Animi labore vincere:
Pugnæ fuit comes labor,
Nunc palma erit victoriæ.

Te multa oportet perpeti:
Patiens doloris nescius,
Patientiæ expers vir bonus,
Nullo fuere sæculo.

Vt gaudeas, ama pati:
Tam nemo felix est homo,
Qui dum caret patientiâ,
Censore se non fit miser.

Probra inter, & mentis cruces,
Quemcumque fortem videris,
Miserum nega: quin verius
Hunc ter beatum prædica.

21. Homo, es quidè miserum animal,
Multasque fers molestias:
Sed hoc tuum levet malum,
Tales quòd innumeros vides.

Tua vita fit multis licet
Vbique cincta casibus;
Ferendo disces omnium
Oblivionem casuum.

Subiecta nondum cognitis
Est vita longa casibus.
Quid anxie cineres fugis?
Securus in prunas cades.

Attende, ne faciat fuga
Te repperire, quod fugis.
Dum ficta devitas mala,
In vera temet projicis.

Molesta nequicquam fugis;
Supera ferendo: si levem
Vitas pruinam, nix ruet:
Visum fugis? rapiet leo.

Bonus premèris, aut malus.
Te vis bonum, quasi jus, premet;
Aut jus premet, quasi vis, malum:
Hoc vita, & illud elige.

L

In

In te nihil firmum, nihil
Expers senectæ, præter has
Quæ te premunt molestias,
Et magna turbarum agmina.

Horæ, dies, menses fluunt;
Voluntur anni; ætas fugit:
Nec ulla vitæ tempora
Dolore vel metu vacant.

In rebus humanis nihil
Tam prosperum, cui non suus
Sit luctus affecla, aut comes:
Mala juncta cunctis sunt bonis.

Rerum omnium variant vices:
Etiam suas dies habent.
Hodierna si fuerit parens,
Erit noverca crastina.

Vtcumque in alto ventus est,
Exinde velum vertitur:
Noverca sæpè pessimum
Ex patre fecit vitricum.

Felicitatis si comes,
Vel est sequela, afflictio;
Afflictionem proximè
Post se trahet felicitas.

Luctum subit breve gaudium;
Post gaudium luctus redit:
In spe vicissim vel metu
Homo vivit, ambiguus sui.

Vitæ per humanæ vices,
Quod est necesse, fortiter
Perfer malum: doloribus
Acquiritur patientia.

Lepidè probas quàm sis miser,
Quòd esse te miserum putas:
Hæc rerum abundantanti potest
Contingere infelicitas.

Homo es: dolorè tamquam homo
Admitte; vince tamquam homo.
Nulli dolori cedere
Cælestis audet gratia.

Vix ullus exors tristium:
Abs te, quod est nimium, fuga:
Nam sæpè morbos haud leves
Secum gravis mœror vehit.

Spatium relinque luctui:
Querulo dolore cùm semel
Obsessa mens est, pervias
Ad læta non habet fores.

Noli tuam superfluo
Augere miseriam metu:
Timere stultum est, quod metu
Mutare non possis tuo.

Prudens suo monitu facit
Patiturque, quod facere aut pati
Monitu alieno debeat,
Nisi ipse pareret suo.

Variæ monent rerum vices,
Moneamus ut nos. Te moneo:
Si non monueris; te monent,
Monuisse quod neglexeris.

In rebus antè si tuis
Censuque quod fuit, deest;
Hoc discce contentus frui,
Mutata quod dant tempora.

22. Virtute, quamlibet grave
Levabis & premes malum:
Opinionis pondere
Gravabis auctu centuplo.

Quò durus adfuefcas malis,
Opiniones edoma:
Te nulla læferunt, priùs
Quàm quæftus es lædi, mala.

Neceffitatum incommoda
Ridebis affuetus malis:
Te nulla tunc lædent mala,
Cùm dixeris non lædere.

Lædi volens à nemine,
Te nemo lædet: lædere
Quis namque poffit, te nifi
Et ipfe lædi fentias?

Lædi à feipfo qui nequit,
Lædi poteft à nemine.
Felicittatis quilibet,
Et fortis eft faber fuæ.

Haud imparatus fit tibi
Animus ferendas ad cruces;
Quas antè fis memor tuo
Te fabricaffe malleo.

Res inter arctas quòd tuos
Nævos vides, donum eft DEI:
Age gratias: quos mel parit,
Abfinthium vermes necat.

Tibi de cruce eft ftultum queri,
Quâ culpa purgatur tua:
Peccaffe noxium fuit;
Subire pœnas, utile.

Est æqua pœna, fi malum
Quod feceris debes pati:
Ratione & affuetudine
Incommodum fit commodum.

Quam fers tuo merito crucem,
Exofculare: mens crucis
Amore facta purior,
Est cara Cælo victima.

Potiere votis, fi priùs
Patiare quæ debes pati:
Quietis optatæ bono
Potiere poft patientiam.

Neceffitatis legibus
Natura corpus fubjicit:
Ad regna mentem libera
Probata virtus efferet.

Te fponte legi convenit
Neceffitatis obfequi:
Vnum levamen in malis
Est, ipfa leniter pati.

Quæ fenfui funt afpera,
Mors mollit & patientia:
Eris omnium miferimus,
Si dura non difcas pati.

Adverfa magnanimum acuunt;
Mollem remittunt profpera:
Labor laborem deterit;
Dolor dolorem proterit.

Novitas iniquum cladibus
Dat pondus: eft levior vetus.
Ærumna: longi temporis
Patientia obruit malum.

Gravioribus suetus malis,
Leviora non graviter feres:
Haud pertimescit maximum
Incus tumultum maxima.

Cùm læva fors miserum premet,
Aut comminabitur malum;
Nescire primum, est omnia;
Nescire postremum, nihil.

Fer, craftini spe commodi,
Hujus diei incommoda:
Omni loco, omni tempore,
Ferendo duris imminè.

Casus diei te asperi,
Vel prosperi moveat nihil:
Res quæque momentanea
Citò venit, ut fugiat citò.

Incommodum perfer libens,
Si vis potiri commodo:
Quod lædit, & quod recreat,
Se mutuâ dabunt vice.

Quæ jure, sive injuriâ
Toleras, iis quæ ceteri
Graviora patrant, compara:
Quod fers onus, fiet leve.

Quæcumque in hac vitâ tibi
Tormenta continget pati,
Æternitatis ad rogam
Collata, sunt umbra, & jocus.

Beatiores, quos foris
Miraris, intus aspice:
A ceterorum cœtibus
Nihil dolore differunt.

Qui spernis absentes cruces,
Præsentibus curvaberis:
Cras non eris similis tibi,
Hodie sonanti grandia.

Patientiam alteri potens
Suadere, quin suades tibi?
Patientiam facile omnibus
Suadere, difficile est pati.

23. Malo imminente sæpiùs
Est pejor expectatio;
Maliq̄ue pessimi mora
Est pejor ipsomet malo.

Prævisa vix feriunt mala.
Hæc tu, priusquam venerint,
Tolerare disce: seriùs
Cavebis in mediis malis.

Discrimen instantis mali
Disce ante discrimen pati:
Ægrè malum præsens feres,
Nisi id futurum senseris.

Injuriarum imagines,
Et ficta sustines mala?
Hinc disce vera perpeti,
Sontiq̄ue gratiam refer.

Lædens loquela, vel manus,
Quæ fingitur; ni vincitur
Pietatis ignoscentiâ,
Lædens reipsâ haud vincitur.



Sperne

Sperne sperni.

24. **B**ilem inquieti pectoris
In te protervus evomit.
Vicésne reddas? Neglige,
Aufferre quod nequis, malum.

Sublime virtutis genus
Conculcat orbis degener:
Sibi que similes erigit,
Premit que dissimiles sibi.

Calumniæ molimina,
Et invidorum sibilos,
Mentis modestæ robore,
Ceum palma ranas, despice.

Est præmium virtus sibi:
Claret seipsâ: spiculi
Linguae nigræ, & discriminis
Secura venturi, nitet:

Nil exteræ cupiens opis,
Nil laudis exteræ indiga,
Tumêre nescit fascibus,
Popularibusve plausibus:

Animosa propriis bonis,
Immota duris; sæculi
Caduca, fluxa, inania,
Ab arce summâ despicit.

Patientiæ necessitas
Vbique regnat. At bonum
Si dum facis, pateris malum,
Duplicem mereris lauream.

Pati necesse est: sed pati
Benè ut opereris, est opus
Dignum coronâ duplici,
Patientiæ, atque operis boni.

Pulchrum pati; at pati mala,
Bona faciendo, pulchrius:
Est magna laus operis boni;
Patientiæ laus maxima.

Te, quando ne perdas DEUM:
Facis bona & pateris mala,
DEUS recusat perdere.
Laboris est seges, salus.

Quicumque, puriori
Cor incitatus cæstro,
Aves parare nomen
Decusque sanctitatis;

Atro licet noteris
Falsæ colore culpæ;
Id ore fer tacente,
Id fronte fer serenâ:

Id corde fer quieto.
Tantum scelus patravi,
Dic; verbulo nec uno
Fictum nefas refelle:

Ni fortè tu vel alter
Passurus inde damnum,
Famæ gravi periculo,
Aut corporis labore.

Sic magnus ille quondam
Paphnutius, silenti
Est passus ore turpis
Probrum notamque furti.

Theodora sic (licet lux
Phariæ secunda terræ)
Infamiâ pudendæ
Falsò notata culpæ:

Quamvis & hac & ille,
Fraudis sciens iniquæ,
Gravi piaret insons,
Ceu vera probra, damno.

Tales fuere mille,
Quibus probata virtus
Ad astra fortiore
Dedit volare pennâ.

O sanctior ferendæ
Calumniæ voluntas !
Quantâ soles serenas
Mentes beare luce !

Hinc pectoris benigni
Tranquillitas stupenda,
Nullo movenda motu,
Cælo, DEOQUE fixa.

His certiora Vates
Numquam Sybilla dixit;
Quæ me tamen canentem
Profana turba ridet.

Ignara turba veri,
Egena turba mentis,
Vim veritatis audet
Meras putare, nugas.

At, abditam quibus rem
Dedit probare virtus,
Me, corde teste, jurant
Haud frivolum Poëtam.

25. Te spernit alter, & tua ?
Nil verere : ama DEUM.
Quò plus amas ; hòc plus amat:
Amor est amori præmium.

Sperni recusas & pati ?
Semen recusas gloriæ:
Est turpitude nobilis,
Turpem videri pro DEO.

Animi altioris est nota,
Optare sperni : altissimi,
Gaudere : superas, si potes
Amare qui te spreverint.

Superbus es, quisquis fugis
Sperni, atque despectus doles;
Nec signa reddis debiti
Amoris, à quo sperneris.

Spe liber, & vano metu,
Vt vera suspires bona,
Te sperne : honora ceteros;
Et sperne sperni à ceteris.

Calumniarum & scommatum
In te acta tela despice:
Indigna pro dignis habe.
Sinit DEUS : quid dignius ?

Calumnias, sannas, probra,
(Quæ sæpè spes hominum leves
Turbare mœstitiâ solent)
Pro laude lætus excipe.

Est bulla rumor. Quidlibet
Pro more de te murmuret,
Aut vulgus illi succinat,
Nihil morare : sta in DEO.

Dolor,

Dolor, voluptas, gloria,
Infamia, ut solent, fluant:
Res nulla, te fixum DEO,
Caduca decutiet loco.

Ne crede plus de te alteri,
Quàm tu tibi: vulgi levis.
Leves susurros, ne quidem
Vnius assis æstima.

Mera bulla vulgi opinio.
Miranda sit felicitas,
Prodesse conari omnibus,
Et displicere nemini.

Spe major humanâ, omnibus
Placere, fors est: te licet
Vox plebis ornet, nil tuo
Addet bono, aut demet malo.

Spernente vulgo, te novum
Fecisse questum deputa:
Laudata doctis, & piis
Probata, vulgus improbat.

Nemo unus omnibus placet:
Rarus bonus, plures mali.
Mâlis bono vel unico
Placere, quàm centum malis.

Vni bono quisquis potest
Placere, sat multis placet.
Mâlis proinde uni bono
Placere, quàm multis malis.

Multis malis cùm displices;
Paucis tamen places bonis:
Mâlis placere pauculis,
Malè quàm placere pluribus.

Contemne, honora quos decet.
Rectis probari mentibus,
Honestâ laus est: improbis
Placere, dedecus puta.

Quòd omnibus multum places,
Hoc vita displiceat tua:
Suspecta vir prudens habet
Quæ maximè vulgo placent.

Te quando vulgus æstimat,
Hinc æstima quàm sis miser:
Nisi turba te deriserit,
Nondum beatum te puta.

Te nec bonum laudatio,
Nec probra te facient malum:
Non laude fies pulchrior,
Nec turpior calumniâ.

Placere tu quidem omnibus
Conare; nec spera tamen.
Age justa: nemini invidere:
Ama bonos, & æstima.

Heri serebas, & tuis
Pluviam precabaris fatis:
Hodie viator, imbris
Precaris optatis malum.

Vnus tot ingratis DEUS,
Tibi que non semper placet:
Te posse semper omnibus
Placere, ne frustra putes.

Placere, nec placeat tibi,
Nec displicere: si placet
Tibi displicere, aut displicet
Tibi placere, æquè sapi.

Malis

Malis placere si studes,
Prodesse non potes bonis:
Bonis nocere non timet,
Placere qui cupit malis.

26. Livoris & calumniæ
Spreta exolefcunt spicula.
Ostendis iras? agnitum
Videbitur culpæ probrum.

Nil corde recto ditius,
Nil innocente tutius.
Amas timere neminem?
Ama nocere nemini.

Injuriam fieri tibi
Nullam putabis, cum nihil
De te arroganter senseris:
Vexata crescit lenitas.

Opus coronat gloria:
Multis tamen, licet bonis,
Antestat actionibus
Dicti unius patientia.

Probrum fer, & grates age;
Nascetur è probro decus:
Ærumna dum mentem premit,
Ad se DEUS cor erigit.

Iuuisse, qui te nunc premunt,
Non pœnitebit: est bonis
Audire pro factis malè,
Et ferre iniqua, regium.

Benè fac; amaque despici.
CHRISTI esse membrum non potes,
Nisi lætus incedas viâ,
Quacumque præcessit Caput.

Fac, dicta aliorum mala
Vt facta dissolvant tua:
Benefac; ut & de te benè
Animus malignus sentiat.

Benefaciens, calumniam
Securus effugies: mala
Quod lingua se, quod est, probat,
Herumque; quid refert tuâ?

Vir magnus es, vir nobilis,
Si more majoris feræ,
Voces tibi oblatrantium
Securus exaudis canum.

Tibi quod adlatrent canes,
Lætare: parva non quatit,
Nec ima livor; impetit
Excelsa, summis imminet.

Calumniam quod alteri
Inferre nolis, justus es:
Sed fortis es vir, si potes
Calumniam ingenuus pati.

Tolerantiâ, calumniæ
Ridebis artificem: levis
Hunc lingua dicet feminam;
Tua te virum patientia.

Benè vive: dicta garrulæ
Contemne linguæ: te penes
Non est, quod unus, aut duo,
De te susurrent rabulæ.

Aliquid sinistri clanculum
De te susurrat sannio:
At fama de illo publica
Nihil susurrat clanculum.

Non

Non unus adfirmat palam,
Mendacii quòd sis parens,
Ab ore cuius veritas
Dudum fugata fugerit.

27. Durum est filere, cùm tibi
Injuria infertur gravis:
Est, cùm filere nescies,
Parata noxa durior.

Calumniarum spicula
Taciturnitate discute:
Ad verba stulti qui tacet,
Respondet aptè, & plus fatis.

Os innocens silentio
Se purgat, & loquitur fatis:
Tacentis ingenuus pudor
Est grandis excusatio.

Ne dente mordacem pete:
Lima, omne quæ ferrum solet
Mordere, nescit contumax
Morsum timere viperæ.

Mentis bonæ tranquillitas,
Modestia, & patientia
Dabunt silendo, ut optima
Loquaris, & persuadeas.

Ab ore freni nescio
Fit vulnus immedicabile,
Nisi medearis unico
Oblivionis pharmaco.

Calumnia, obrectatio
Torquebit innocentiam;
Sed falsitati posthuma
Supernatabit veritas.

Accusat innocentiam
Damnandus à puero senex;
Ne desit innocentia
Etiam patronus innocens.

Suber supernatat fallo,
Mergique nescit: quòd magis
Livore vittus stringitur,
Hòc elevatur altius.

Linguae impudentis, veritas
Calumnias citò dissipat.
Infrenis oris est frequens
Vectigal infortunium.

Argutulis loquaculus
Tacitum petis ratiunculis:
Sed ille, sic victus, tuæ
Non invidet victoria.

Benè quod facis, carpit malus:
Sibi hic nocet; prodest tibi.
Gaude, tuumque auge bonum;
Sed invidi. dole malum.

Cui rectè agendo displices,
Illi nocet, nihil tibi.
Mutare, non in te bonum,
Sed in altero malum stude.

28. Opus optimum livor malus
Obrectat, & solens facit:
Si res bona invidiam parit,
Quis vitet invidiam bonus?

Malo vidente, fac bonum:
Illo invidente, nil age
Cur criminari te queat.
Mala arbor hunc fructum ferat.

M

For-

Formidine invidiam fugis?
 Indigna res verè viro.
 Ne te illa cedentem premat,
 Virtute palma stet tibi.

Virtute livorem doma:
 Frustrà pusillus cogites
 Placare livorem metu;
 Hoc fractus, illum digeres.

Si, laude quod dignum facis,
 Obscuret invidentia;
 Novam pete à speculo tuæ
 Infirmitatis gloriam.

Minoris invidentia,
 Majoris est felicitas:
 Est omnium miserrimus,
 Cui nemo prorsus invidet.

Mores in altos non cadit
 Inertiæ livor comes:
 Hic mentis indigentiam,
 Vitamque degenerem notat.

29. Si certius rerum omnium
 Valor carendo discitur:
 Te scire, mi Lector, volo
 Quantum sit invidiæ valor.

Qui nostra rides carmina,
 Non ista, sed te negligis:
 Poteras beatæ plurima
 Vitæ doceri commoda.

Nasute, quisquis nauseas,
 Versusque distringis meos;
 Vis innocenti carmini
 Nocere, ne sis innocens.

Amice Lector, his scio
 Quid iudices de versibus:
 Dices bonos, qui sunt mali;
 Et optimos, qui sunt boni.

Inique Lector, his scio
 Quid iudices de versibus:
 Dices malos, qui vix boni,
 Et pessimos, qui vix mali.

Ni falsus es, vel invidus,
 Ne sperne, nec lauda omnia:
 Si cuncta laudas, falsus es,
 Si cuncta spernis, invidus.

Quæ pulchra sunt, velis licet
 Videre, stulte, non potes:
 Quæ pulchra sunt, possis licet
 Videre, non vis invidere.

Cur pulchra stultus non potes
 Videre, non vult invidus?
 Mens clara stulto, mens bona
 Adesse nescit invidio.

30. Vin' scire, cur non omnibus
 Probetur hic meus labor?
 Hoc nolo multis dicere;
 Tibi uni in aurem suggero.

Nescire me unum fat scio,
 Quæ scire se multi putant:
 Sed nescio an multi sciant,
 Me scire quanta nescio.

Plebs imperita quæ probat,
 Probare sæpè nescio:
 At plebs vicissim sæpius
 Probare nescit quæ probo.

Vt huic aduler, aut tibi,
Aptare frontem nescio:
Non capto, musca, nec sequor
Pinguis culinæ prandia.

Non verba prurientibus
Vendo libenter auribus:
Nil intus inclusum mali
Abscondo; nil simulo boni.

Et oris, & cordis mihi
Iugis placet concordia:
Vbique constat frons mihi
Aperta, sermo candidus.

Major videri publicè,
Quàm sim, recuso: vocabula
Postpono sesquipedalia;
Socum cothurno præfero.

Non jacto ceras, nec genus,
Nec alia. Non sunt hæc mea:
Mei memor, memet mei
Dimetior modulo pedis.

Aliena mitto. Neminem
Honore minuo. Sat mihi,
Id esse quod sum: ceteros
Id esse quidquid sunt, sino.

Nec opto, nec mos est meus
Homines notare singulos;
Sed tempora & mortalium
Mores malos distringere.

Vbique quòd censoria
Delicta stringat virgula,
Id hujus ævi moribus,
Vix Christianis, imputa.

Genio quidem placabile
Placet meo consortium;
Sed hic ubique turgidæ
Fucum fugit facundiæ.

Est lingua vendendis mihi
Inepta fumis: vix emo
Minore majus munere;
Majore cur emam minus?

Haud opto congestas opes:
Mihi est abunde, qui famem
Sedat cibus, scyphus sitim,
Et lana, quæ frigus fugat.

31. Vt nemo te spernat, vide.
Suâ ille culpâ spernitur,
Qui quid loquatur haud capit:
Aut canticum furdo canit,

Qui se indigenti supplicat;
Qui musca mensis imminet;
Ab hoste qui laudem petit,
Vel à tenace peculium;

Qui doctiorem se docet;
Prudentiori qui præest;
Qui se, simul loquentium
Injussus infert in gregem;

Qui Principem dicto ferit;
Qui spernit urbis Præsides;
Qui non suam regit domum;
Aut non suum tenet locum.



Neminem sperne.

32. **C**Arnes ede, & vinum bibe;
Sed insolentem proximi
A carnibus dentem abstine,
Fex audienti, nex tibi.

Mens & voluntas proximi,
Scientiæ boni & mali
Est arbor; hanc te tangere,
DEUS Vltor, & Iudex vetat.

Et carpis omnium omnia,
Et unus ignoscis tibi:
Sed iste, quo te amas, amor,
Odium meretur omnium.

Tibi unus uni cùm places,
Et spernis unus ceteros;
A ceteris si sperneris,
Quod antè vendebas, emis.

Tibi places, & ceteros
Contemnis; at contemneris
A ceteris: nunc venditor,
Nunc mercis emptor pessimæ.

Malè alteri cùm dixeris,
Quo jure non malè audias?
Iure audies semper benè,
Si dixeris numquam malè.

Quando tui oblitus; probro
Audes sodalem carpere;
De fronte civilem tuâ
Cecidisse lauream puta.

Natura partitur vices:
Dat multa posse dicere
Sapientibus; sed plurima
Dat velle stultis carpere.

Fratrem cavillo qui petis,
Vide teipsum. Irrisio
Eò unde nata, regeritur.
Parce alteri, ut parcas tibi.

Quod alteri temerariâ
Loquacitate fannio
Malum paras, paras tibi;
Et in tuum spuis sinum.

Qui falsa vel risu acria
Dicteria in fratrem jacies,
Teli venena lividi
Redisse retrò senties.

Nasi, atque dentis spicula
In se redundant: quod notas
In fratre, temet arguit.
Quis est homo, & culpâ vacat?

33. **Q**uamdiu placebit scenica
Dicacitas, irrisio,
Postica fanna, ineptus es
Haurire CHRISTI spiritum.

Vrbanitates, & sales,
Loci, aulicæque ineptiæ,
Quas erubescit mens pia,
DEO sacrâ exulent domo.

Te cordis index optimi
Oris decet serenitas,
Et nata cælo gaudia,
Sed futiles vita jocos.

Gaude

Gaude quòd obsequeris DEO:
At gaudio, & linguæ modum
Ni ponis, expers spiritûs,
Et lucis internæ, gemes.

Dicacitatis unguine
Ne profer illitos sales:
Virtutis indoles jocos
Amariores non amat.

Gustum sinapi provocat;
Sed lacrymas idem ciet:
Quem scomma risum procreat,
Hunc & sequuntur lacrymæ.

Tacere mâlis, quàm sales.
Illiberales fundere,
Aut verba coram Principe,
Reditura per jugulum, loqui.

Lambendo mordes? & joco
Tectum jadis convitium?
Est oris improbi nota,
Melle illitos lapides loqui.

Vita venenatos jocos,
Et felle suffusos sales.
Condisce verbis neminem
Mordacibus distringere.

Aliena scurrili joco
Ne carpe facta: cùm tibi
Sat curta sit virtus domi,
Te cerne, te purga priùs.

Si vel joco absentem feris,
Præsentis ut des auribus;
Linguæ timebit hic tuæ
Pòst vapulare verberare.

Qui tangit absentem probro,
Tuas ut aures mulceat;
Is & tuam petit cutem:
Hac peste te mox exime.

Qui recta non solens facis,
Ne censor alterius velis
Notare curva: nil minus
Hæc stulta res sit, quàm mala.

Sodalium de moribus
Ne calculum fer è tuis:
Quàm censor alterius frequens,
Tam rarus est censor sui.

Aliena ne cerebro ex tuo,
Staterâ iniquâ, examina.
Ignosce socio; nec tui
Te judicem fratris gere.

34. Opus caveto carpere,
Quod æmulari est arduum:
Obturet os dicacius
Silentii pater pudor.

Quid in venusto corpore
Nævum notas? quid efferâ
Scabie obsitus, tubercula,
Papulasque rides? Te vide.

Vis pœnitere, dum leves
Lapsus amici examinas.
In fratre festucam notas?
At quis tuam feret trabem?

Tu te tui tutissimum
Fac judicem: ex oculo tuo
Trabem ejice; & , si pòst vacat,
In fratre festucam vide.

M. 3. Tibi

Tibi tribuantur tubera
 Vitio vereris ne tua?
 Hæc deprecare; & omnium
 Ignosce verrucis prior.

Aliena qui numeras mala,
 Te calculo damnas tuo:
 Tua seriatim digere,
 Numeroque pondus adjice.

Tuum cor, & corpus vide;
 Extraque, & intra discute:
 Ut fratris adnotes probra,
 Nec mens nec hora suppetet.

Minora dum alterius vides
 Errata, nec vides tua
 Majora; es imprudens tibi,
 Nimisque prudens alteri.

Haud lucis expertem decet
 Damnare tenebras. Tu stude
 Carere labe, cum voles
 Aliena facta carpere.

Tua facta prudens inspice;
 Aliena simplex transfili:
 In fratre quod cernis bonum
 Piumque, sectari stude.

Peccata nec soles tua
 Videre, ferre nec potes:
 Quam Iuris ergo regulam
 Aliena facta iudices?

Cur indecorum in altero
 Vides, quod in te non vides?
 Oculi alieni nævulos
 Oculus videt, numquam suos.

Cur rarus in se corripit,
 Quod in altero carpit malum?
 Assueta jam dudum suo
 Natura blanditur malo.

Meus oculo caret oculus,
 Mens mente; talpæ sunt sibi:
 Cui ergo quid sim, quid sciam,
 Ausim roganti dicere?

Non alterum, sed te excute:
 Aliena mitte; te vide.
 Hoc cedit in lucrum tibi;
 Ditabit illud alterum.

Errata fratris transvola;
 Tua disce, lustra, discute.
 Sit grata fratri Caritas,
 Severa Veritas tibi.

Vbi sale verbi, proximi
 Culpam voles perstringere;
 Tua te premat: dic; Hoc malum
 Quod damno, feci, aut fecero.

Homo rarus es, si in alterum,
 Idem quod in te, cogitas:
 Sed rarior, si inter tua
 Errata: dissimulas nihil.

Vir justus unum se, & sua
 Peccata damnat; alterum
 Excusat: inspector sui,
 Laudator idem proximi.

Alios monere, si jacent,
 Aut si quid errent, novimus:
 At nostra prætercurrimus
 Errata: nemo se videt.

Cur

Cur noctuino propria
Errata lustras lumine,
Aliena milvino vides?
Propriora projecis procul.

Oculis ubique lynceis
Aliena facta pervides:
At negligis tergum tuæ
Videre, talpa, manticæ.

Tibi talpa, talpa Numini,
Es Argus & lynx ceteris:
Attende Numini, & tibi;
DEUM verè, te vide.

Aliena rides, & notas?
Ridenda propinas tua.
Sunt ista sæpè mutua,
Reditque fors cum fœnore.

In altero nil despice;
Tua dicta, facta respice:
Meliora nihilo se tibi
Spectâda in hoc speculo dabunt.

Alius artem despicias?
Alius tuam: subeunt vices
Despectus & laus, mutuam
Laudem atque despectû trahunt.

Est si quid in malo mali,
Hoc turpis arrodit culex:
Minimû quod in bono est mali,
Est pessimæ linguæ optimum.

Errata amici paucula
Virtutibus multis tege:
Quis ille tam plenè bonus,
Vt vel levi careat malo?

Aliena sordent? & tua
Sordere possunt alteri.
Vitanda quin potiùs tibi
Vides in alterius malis?

35. Vndas maris de littore
Spectare dulce: tu stude
Vitare cautus, quod vides
Alius in malo malum.

In proximi lapsu, tui
Speciem vide discriminis:
Vnius exitium, tui
Exemplar est periculi.

Suspectus esto tu tibi;
Non hic, vel alter, aut ego:
Tibi alter esto, ego mihi.
Ruit sibi, quisquis ruit.

36. Aliena quæ carpis bona,
Carpendo non facis tua.
Laudando sed facis tua,
Aliena quæ laudas bona.

Quod non quieto lumine
Inspexeris, ne despice:
Nec argue ex bono malum;
Sed erue ex malo bonum.

Qui quod bonus facit, malè
Interpretatur, mentis est
Nullius, aut mentis malæ;
Indignus audiri à bonis.

Quem judicant plures bonum,
Ne censeas unus malum:
Malè arbitrandi de bono,
Multis fit ansa fatuitas.

Lau-

Laudanda lauda sobriè:
At jure quem laudaveris,
Ne carpe: mentis est malæ,
Laudare eundem, & carpere.

Fuge curiosum, qui sui
Incurius lustrans tua,
Scit antè quid mali tibi,
Quàm quid sibi accidat boni.

37. Ne sperne quemquã: neminè,
Nocere qui nequeat, puta.
Quemvis saluta: cui libet
Hoc defer obsequium prior.

Qui purus est affectuum,
Nihil sinistri in altero;
In se videt; se corripit:
Sunt munda mundis omnia.

Sunt manca, sunt mutila omnia:
Est nemo, cui desit nihil.
Deest singulis aliquid; tuis
Carere te nævis putas?

Sua quemque torquent noxia:
Suas reservant optima
Falerna feces. Est nihil
Plenè beatum sub Polo.

Noris, bonarum quàm tibi
Rerum sup' ellex sit brevis;
Et messe propriâ tenus,
Non erubescas vivere.

Soli DEO deest nihil.
Beatus es, quisquis tuum
Ab homine non speras bonum,
Sed ab optimo expectas DEO.

38. Nec gaudium fratris mala
Tibi, nec bona invidiam creent.
Fratri quod est benè aut malè,
Cense bonum aut malum tibi.

A veritate devias,
Fallisquæ te, qui te & tuã
Miraris, & nulli alteri,
Soli tibi, te comparas.

Virtute, quã forsã nites,
Quare carentem despicias?
Hic forsã ex aliã nitet
Virtute, quã certò cares.

Majora nactus es bona?
Moderare; fastuquæ abstinence:
Minora spernentem, æquior
Te jure spernet arbiter.

Spernis quod est facile tibi;
Captumquæ quod superat tuum,
Majore fastu despicias:
Vtrumque cordis indiges.

Homini suas, cùm sis homo,
Quid inanitates objicis?
Natura, mater omnium;
Noverca, fors est omnibus.

Conferre te aude nemini;
Tibi præfer omnes: omnium
Postremus esse inter bonos
Ama: sit hoc fat, & nimis.

Vide cui te conferas;
Vide cui te præferas:
Si conferendo desipis,
Te præferendo quid facis?

Te

Te pœnitere nunc decet,
Non prænitere ceteris :
Altissimo stabis gradu,
Cum te locaris infimo.

Cur quilibet se ceteris
Præfert libenter ? An quia
Secunda Tu, Ille tertia,
Sed prima persona est Ego ?

Te quando cum minoribus
Metiris atque comparas ;
Virtutis à fastigio
Quàm sis remotus, haud vides.

Hinc intumescis, intuens
Modulum minorum gentium ;
Et alta de te sentiens,
Donare vis quibus cares.

Dedisce quemquam spernere ;
Et discè sperni ab omnibus :
Vilis videri nescius,
Opinione fallitur.

Si neminem vis spernere,
Nec ferre vis censoriam
De ceteris sententiam,
Te, quamque sis miser, vide.

Inertiæ memor tuæ,
Quàm nil habes facti, vide ;
Ne, perditâ modestiâ,
Perdâris à superbiâ.

Quàm sis inanîs atque inops
Cælestium rerum, vide ;
Et à piis supplex opem,
Stipemque mendicus pete.

Miser es : sed hoc uno tamen
Felix, quòd esse te vides,
Deique quòd tua supplicat
Misera misericordiâ.

Quòd esse te miserum vides,
Homo es miser, non bestia.
Tua æstimetur humilitas,
Quòd æstimari amas miser.

39. Summo placere vis DEO ?
Ne sperne plebis infimum :
In vase Numen fictili
Numos recondit aureos.

Non corporis cultu virum,
Sed mentis ornatu æstima :
Subinde sub vili togâ
Pretiosior virtus latet.

Quàm sæpè in occulto latet
Mens magna, servulus docet :
Sic servulo est herus minor,
Qui corrigi à servo timet.

Humilis paludis incola
Noli invidere diviti :
Potest pusillâ (imò solet)
Exire magna mens casâ.

40. Immensa possideas licet,
Cares teipso, sensuum
Quando cares modestiâ.
Quàm pauper est, qui se caret :

Benè fit ; abundes ; sat tibi
Videare dives : ni vides
Quàm multa desint, te tui
Quis esse compotem putet ?

N. Dant

Dant larga valles pascua;
Dant parca colles gramina:
Sapit modesta mens satis;
Parum, superba, vel nihil.

Arista vacua effert caput:
Arista granorum gravis,
Submittit. Hòc minùs tibi
Confide, quò plus possides.

Arista inanis stat, caput
Erecta; curva est plenior:
Inane sic ovum natat;
Plenum sub undâ desidet.

Sublata frons, oculus vagus,
Vox tinnula, arrogantia
Virus latentis indicant:
Vas quod vacat, tinnit magis.

Tibi quando confides nimis,
Falles frequenter ceteros,
Te semper: illis & tibi,
Tui timore consule.

Novissimo sede loco,
Paratus aut mori aut pati;
Hinc vera læto pectori
Pax atque libertas erit.

Superbia, Humilitas.

1. **C**Or mite, fastus nescium,
Inter pares & supbares,
Deposcit ultimas sibi,
Primasque defert alteri.

Comes ruina superbia:
Homines ad astra subvehit
Mens mitis: hæc faciet tui
Te sola voti compotem.

Modulo modesto te & tua
Metire: nec temerè altius
Ausis cacumen scandere,
E quo ruendum sit tibi.

Scalis in altum putridis
Qui scandis, hoc audacia
Te divitem facto probas,
Sed pauperem prudentia.

Præceps in exitium ruit,
Quisquis superbus ambulat:
Ad astra vir sui memor
Benignitate tollitur.

Quò te feres hodie altiùs,
Gravior ruina hòc cras erit:
Delapsa ab alto pondera
Celeriter in præceps eunt.

Se quidquid altè sustulit,
Occasui est occasio:
Quercus ruentis quilibet
Præcisa ligna colligit.

Quò se quis arrogantius
Effert, eò mox fœdiùs
Devolvitur: levis asseclam
Lactantia Nemesin time.

Quod altiùs sese extulit,
Putat propinquum lapsui:
Servetur ut felicitas,
Felicitate alià est opus.

Non

Non te propinqui gurgitis
Terret vorago? firmius
Quò stare te reris, cave,
Eò profundius rues.

2. Te despice inspectum probè.
Dic: Ecquid expectas DEUS
A me malo, præter malum,
Ni me tuâ sanes manu?

Te nosce. Dic humilis DEO:
Cor hoc vide: piger est ager;
Si non rigarit hunc tuâ
Ros gratiæ, lolium metes.

Abest, ubi adsunt lacrymæ,
Superba pollicitatio:
Sed lacrymas nescit, sui
Infana confidentia.

Apostolorum Principem
Fiducia in præceptis dedit.
Gallo canente flet Petrus:
En lacrymas cantus parit.

Virtute, ais, non sanguine
Niti decet. Sed hoc nota:
CHRISTI decet te Sanguine,
Virtute non niti tuâ.

Tu si boni quid feceris,
Ego si mali quid fugero;
Dicemus ambo consciï,
Nos servi inutiles sumus.

Dic: Servulus sum inutilis;
Factum quod à me oportuit,
Rite exequi pro viribus
Conatus, haud feci satis.

Si nil habes facti hactenus
Factum voluntas suppleat:
Hanc te volente si DEUS
Gubernet, effectum dabit.

3. Oculus DEI non fallitur.
Quantum ille te videt oculus,
Tu tantus es; nil amplius.
Attende tibi: DEUS videt.

Tibi displicere non placet?
Placere displiceat tibi.
Vtrumque si pariter placet;
Tibi nec places, nec displices.

Si magna vis per nomina
Major videri, aut maximus;
Sic vive, ut ex vero queas
Audire servus omnium.

Ne mentis inflat te tumor;
Lacerâ lacernâ & squallidâ
Ornatus, abjectis tere
Vtramque muniis manum.

Sinister œconomus comes,
Pinguis canistri bajulus,
Plebis cachinnus, per forum
Cælo verendus, ambula.

4. Facilia, celsa, suavia,
Majora, plura respue:
Molèsta, vilia, aspera,
Minora quære, vel nihil.

Ruina virtutum omnium
Et pestis, est jactantia.
Te quando laudas, limites
Veri & decori transilis.

Suffene, cur tanti facis
 Quod esse jactitas tuum?
 Magni seipsum qui facit,
 Magni facit quod est suum.

In anthe Narcissus suam
 Spectare pulchritudinem
 Dum quærit, amittit: velit
 Talpâ fuisse cæcior.

5. Vetus querela: Proprio
 Ex ore laus sordet. Vide
 Ne culpa sit major tibi,
 Ex ore culpa proprio.

Modestus effari timet,
 Quod clanculò facit bonum:
 Quo dignus es cognomine,
 Qui faris id, quod non facis?

Plus dicis, & facis minus?
 Sic te esse, quod non es, facis.
 Par dicis, & facis bonum?
 Modestix damnum facis.

Tantum facis, quantum potes:
 Hoc dicis; & nos credimus.
 Atqui potes plus quàm licet;
 Plus ergo quàm licet, facis.

Verbis in ore splendidis,
 Operis rei que inanibus,
 Ne fide: publicum probrum
 Citò fit, superbi gloria.

Te moribus monstra bonis,
 Non ore, sed præstantiâ:
 Manus peritæ, & editis
 Pictor tabellis se probat.

Nec ulla vultui fides,
 Nec extimo apparatus:
 Non larva verborum virum,
 Sed facta virtutem probant.

Spirare cessa grandia,
 Aurasque voce tundere:
 Vim Solis ex motu vides;
 Benè acta virtutem probant.

6. Amor verecundus tui
 Silebit id quod est tuum;
 Aliena laudabis parum.
 Cave fictionem; fac fidem.

Re sat semel gestâ benè
 Tumere noli sed time:
 Majora damna, minoribus
 Vicina sæpè sunt lucris.

Cave insolescas, res tibi
 Secunda quando riserit:
 Est rarus, arrogantix
 Qui fugerit pœnam suæ.

7. Sententiam audi plurium.
 Solus sapi? frustra sapi.
 Opinio una, plurium
 Opinione vincitur.

Ne plurium sententiam
 Vnus superbe spreveris;
 Ne, cum probaris neminem,
 Nemo vicissim te prober.

Quæ mentis est perversitas,
 Probata nolle credere?
 Nondum probata, per novam
 Superbiam, præsumere?

8. Lauda

8. Lauda alterum, cùm noveris; Vis scire, meque interrogas,
Veritus ruborem, si ruat: De te quid orbis sentiat?
At ne ad tuas laudes tume, Es, quidquid orbis sentiat,
Quibus esse te scis imparem. Opiniorum servulus.

Citò neminem laudaveris; Inanis aura gloriæ
Citò neminem culpaveris. Vt omnis est radix mali,
Nihil, negaturus, pete; Sic omnis est pestis boni,
Nihil, petiturus, nega. Hominis ruina, hostis DEI.

Est omnis ebrietas nocens, Est præpotens & pertinax
Seu sicca, seu fit humida: Motus, cupido gloriæ:
Solet hæc placere nemini; Hoc exuèris omnium
Sed illa sæpè plus nocet. Affectuum novissimo.

Amore bino vinceris, Hunc ut retundas, arietes
Tui, atque vini: sed tui Tot atque tales admove,
Inanis æstimatio, Menses ut intra pauculos
Est morbus insanabilis. Exsibilatus gaudeas.

Tui quid æstimatio? Nonnemo si te in circulis
Est mater ignorantia, Traducit, aut ridet; DEI
Pudoris ac periculi, Memor æmulusque, injuriis
Mendaciique filia. Adplaudet tranquillus tuis.

Tui quid improbatio? Te pauperem & miserum vide,
Est lucis & sapientiæ, Talemque te palàm voca;
Honoris & meriti parens; Idque audienti credulo
Est veritatis filia. Latere quòd persuaseris.

9. Laus vera radices agit; 10. O quisquis umbellam tui
Repentè ficta corruunt: Honoris, umbellam vocas,
Virtutis expers gloria, Spernisque, quot semel simul
Ceu flos in herbà, concidit. De te refers victorias!

Humana de te opinio, Ventosa si te gloria
Sparsi que fama nominis, Habet anxium, variabili
Sunt fumus, aura, vanitas, Pendebis actus flamine:
Et umbra, & umbræ somnium. Cùm stare te credes, cades.

Quos occupavit gloriae
 Agitque transversum sitis,
 Aut cura ventris; nil boni
 Veri vident, nec audiunt.

Quid est inanis gloria?
 Est vanus aurium tumor,
 Qui lapsus in cordis specum,
 Ab ore vano subsilit.

Est fumus, orbis gloria;
 Est pulvis Euro; est ignibus
 Nix: una solus fit tua
 Et sola, IESUS, gloria.

Est vera res, quod corpus est;
 Est umbra corporis nihil:
 Sic pulchra virtus, vera res;
 Nil, ejus umbra, gloria.

Rem quære, virtutem: fuge
 Virtutis umbram, gloriam:
 Hominis quis esse rem putet,
 Cum nominis sit, gloria?

Qui lucis audis filius,
 Sectaris umbras? Desine:
 Lux ipsa veri non satis
 Dat lucis, umbrarum nimis.

Germana lux veri later;
 Expressa lex later boni:
 Nos lucis, & legis vice,
 Umbrâ utriusque ducimur.

11. Cerebri character est levis,
 Gaudere plausu, & nominis
 Inanis umbrâ: lacrymas
 Quisquis fugis, fumum fuge.

Captare fumum, lacrymas
 Ciere qui volet, potest.
 Gaudere ne tumor velis,
 Nisi ante lacrymas ames.

Gaudésne fumo? lacrymas
 Amas: inanis nominis
 Amor necandi te tenet?
 Hoc peste pejus oderis.

Virtutis expers, nutibus
 Verbisque jacta glorias:
 Majore sed fumo time
 Perire, fumi venditor.

12. De te cave mortalium
 Sentire sensu: decipit
 Multos adulatoria
 Fallaxque vulgi opinio.

Sapientis animo quod sapit,
 Pectus supinum nauseat:
 Ægro palato plus sapit
 Plebeja fex, opinio.

Opinionum sordibus
 Onusta mens; profuga est sui:
 Dum cuncta captat, nil capit;
 Nec se, nec extra se videt.

Est terra gemmarum parens,
 Parensque florum: quis pares
 Genere sorores, impares
 Facit esse pretio? Opinio.

13. Laus vana, mentes subdolâ
 Inescat arte simplices:
 Vigila; caveto ne tuam
 Hæc esca transversum ferat.

Te quando stultus incipit
Laudare, sis superbior.
Te nemo laudet, qui sapit:
Quare? superbus es satis.

Qui laude blandulâ tuas
Demulcet aures, rem facit
Vulpes suam: vult credulum
Hac arte pectus fallere.

Laudaris; & cùm sis nihil,
Laudem esse non censes nihil.
Ruet ruinâ temporis,
Quam stare credis gloriam.

Si gloriosi nominis
Laude insolenter uteris,
Time sequacem infamiam:
Brevis est superbi gloria.

Qui laude sublatus novâ
Tumes, & ambitu petis.
Majora; spera insanix
Palâm tuæ pœnas dare.

Captare quæ plausum solet,
Est stulta gloriatio:
Namque illa, cùm mollissimè
Punitur, irrisum merit.

14. Laudare non potest bonos,
Qui moribus vivit malis:
Namque improbo viro probus
Videtur esse pessimus.

Nemo improbos laudat probus.
Laudas malignos? in parem
Vidêris ingressus viam:
Quod approbas, facis malum.

Damnare noli clanculò,
Quod antè laudaris palâm:
Levitatis est index suæ,
Qui, quod probavit, improbat.

Ne parciùs laudes, tace:
Silentio qui se negat.
Sat posse laudis dicere,
Dixisse censetur satis.

Laudare nolis alterum,
Vt ille te, laudis memor,
Laudet vicissim, & prædicet:
Sic mutuum muli scabunt.

Aufert amor laudi fidem.
Solet esse cæcus calculus
Amantis: id quod plus amas,
Laudando commendas tibi.

15. Obnoxia est jactantiæ
Mens famæ avara: nominis
Laudumque si fumos fitis,
Tibi esse dices, quod deest.

Famam parantis rarus est
Felix labor: sed rarior
Tuentis est felicitas.
Est gloriæ custos DEUS.

Est magna cura nominis,
Iactura famæ: quærere
Vbique famam, est nominis
Famæque fructum perdere.

Vocis DEI auditor rudis,
Noli eruditi pectoris
Captare famam. Sustine:
Est fama sera, seria.

Captare

Captare si famam studes,
Tua dicta ad unguem, factaque
Specta; ut loquaris quod decet,
Et cuius haud pigeat, agas.

Famam bonis factis eme,
Tibi illa sponte ferviet,
Humeris geret; te ad ardua
Nec annuentem provehet.

Opibus nitorem nominis
Præpone prudens, & volens.
Malis egenus & bonus
Audire, quàm dives malus.

Cave boni, time optimi
Decoctor esse nominis;
Ne defuisse sit probro,
Cœpisse quod laudi fuit.

Iactura magna temporis;
Iactura honoris maxima:
Ibi vita mortis instar est,
Vbi nulla vitæ dignitas.

Vt gloriam parias tuis,
Bonum tibi nomen para:
Tuis laboras posteris,
Dum nomini studes bono.

Benefacta fac, ut sint tuæ
Augmenta vitæ: vivere
In posterorum mentibus
Et ore, non finit mori.

Probus videri negligere;
Stude esse. Famam nec nimis
Ama, nec omnem. Simiam
Dici leonem, quid juvat?

Student videri plurimi,
Pauci esse, iusti. Opinio
Vbi regnat, unà vanitas:
Hac stante, veritas jacet.

Nolis videri; sis probus,
Piusque: qui simulat, sui
Persona & umbra est. Tu stude
Esse; & videri negligere.

16. Cicuta flore blandior
Arridet; at mortem tegit:
Virtutis umbrâ, & aureo
Vitia induuntur pallio.

Fles, & gemis, vix exuli
Patere virtuti locum?
Tu candidâ tantò magis
Nitere mente nitere.

Virtutis eheu præmia
Hoc sæculo vitium capit:
Pœnasque culpæ debitas
Creberrimè virtus luit.

Sic vivitur: locum, & gradum
Virtutis heu vitium tenet;
Vitiòque virtus vertitur:
Hinc vera virtus rarior.

Vitium est ubique carius;
Virtus ubique rarior.
Cur ergo vulgò dicitur;
Hoc rarius, quod carius?

Melioribus tibi blandiens
Cave tua extenuas mala:
Nec sordidum, parcum voces;
Cautumve, prudentem putes.

Sapien-

Sapientis haud debes viri
Culpare corpus debile;
Nec in levis cerebri viro,
Laudare robur corporis.

Facies pudica, nemini
Turpis videri debeat;
Nec ullus ulli, nec tibi
Meretricius placeat decor.

Fuit tributa sæpiùs
Maturitati tarditas:
Sic languor & dilatio
Adscripta providentiæ.

Se providum timidus putat;
Parcum vocat se sordidus:
Amas videri serius,
Cum maximè nugas agis.

Torporem, & indolis tuæ
Ineruditam ignaviam,
Ne lingua adulatrix tuæ
Patientiæ tribuat, cave.

Quæ multa captando capis,
Satagentiæ tribuis tuæ:
At curiosæ plus satis
Est pompa mentis improba.

Nolim tibi tua omnia
Placere: servabis tamen
Hunc diligentia modum,
Tibi ut semel facias satis.

17. Peribit instar somnii
Superba cogitatio,
Quæ te, tui immemorem & DEI,
Rationis orbat lumine.

Quid cassa, inepta, inania
Animo volutas? Sic placet
Puerilis error, ut leve
Putes malum, te fallere?

Tam dulce sit tuâ tibi
Opinione illudere,
Ut somnii deliria,
Vera esse regna censeas?

Doliture, præter lacrymas
Quid polliceri audes tibi?
Abiture, quid frustra cupis?
Moriture, quem temet facis?

Quid profutura mortuo
Tibi fama? quid vivo? nisi
Te forsan, ut famæ imparem,
Pudeat parati nominis.

Si gloriæ fulgor placet;
Stude perenni: quæ breves
Præfens ad horas promicat,
Ludit sequaces, & fugit.

18. Modestiâ te nobili
Demitte: laudis nil age
Amore; nil laudis metu
Honestè agendum negligè.

Quæ recta vel semel facis,
Optasque nota nemini,
Meliora sunt, quàm quæ egeris
Amans videri millies.

Modestiæ plus unciam,
Quàm pondo laudis, aestima:
Honoris omnis, omnium
Cor mite laudum fit capax.

O

Nil

Nil laudis humanæ metu
Omitte dignum gloriâ:
Cur laudis id vites metu,
Quod laudis ergô non facis?

Comitem boni quid gloriam
Operis fugis? ducem fuge:
Est vana laus, quâ duceris;
Est vera, virtutis comes

Est umbra corpori comes;
Virtutis umbra est gloria:
Sed hujus umbræ lumine
Fit umbra Solis claritas.

19. Ne te, cave, antè jactites,
Quàm sit tua in portu ratis:
Periere sæpè plurimi,
Tuto propinqui littori.

Plures & acti turbine,
Vado appulere. Tu citò
Iniquiorem nemini
Sortem exprobra; dubius tui.

Lauda ante mortem parciùs:
Viventis est incerta laus;
De singulis sententiam
Fert ultimus vitæ dies.

Incertus est rerum exitus.
Paritura quid sequens dies
Sit, nemo novit: ne tibi,
Tuum ante funus, credito.

Diffide, donec ultima
Recludat & tribuat dies,
Sortem cuique debitam:
Mortalibus tutum nihil.

20. Pudeat tumoris: quidquid es,
Habésve, largitur DEUS.
Te, victum, amictum, gratiam,
Et gloriam debes DEO.

Nil audeas quod fit tuum
Probare, quod non Numini
Modestus acceptum feras,
Viriq̄ue laudarint probi.

Quid sis, & unde sis, vide;
Quas res, & à quo, aut cur habes;
A quo tu, & istæ pendeant:
Superbus esse defines.

Vis esse non inutilis?
Solius optimi DEI,
Cui creatus es, stude
Augere ubique gloriam.

Pro vanitate gloriæ
Nil scribe, nil lege, nil age:
Lege, scribe cuncta, age omnia,
Pro veritatis gloriâ.

Te militasse pœnitet
Sub vanitate gloriæ?
Nunc militare te juvet
Sub veritatis gloriâ.

Tibi labor, haud fuit labor
Pro vanitate gloriæ:
Quis nunc erit labor, labor
Pro veritatis gloriâ?

Tot antè par laboribus
Pro vanitate gloriæ,
Te pluribus præbe parem
Pro veritatis gloria.

Con-

Confert alumno gloriam
Meritumque virtus: dat DEUS
Tibi meritum; tu gloriam
Si das DEO, lucrum facis.

In te mihi solo DEUS
Sit una gloriatio:
In te, & tibi, fiam nihil,
Vt tu mihi sis omnia.

Amore CHRISTI, odio tui
Vbi te abnegaris, & tua;
Se rarior tibi offeret
Inanis umbra gloriae.

21. Sapienciae fons & caput
Est spiritalis humilitas:
Hanc ut doceret maximus,
Est parvulus factus, DEUS.

Via recta, certa veritas,
Et vita, FILIUS DEI,
Humili magister in scholâ
Formavit electum genus.

Vitâ, atque morte, moribus,
Opere, atque verbo, nil nisi
Animi modesti, subditi,
Et mitis exemplar fuit.

Te de beatorum aureo
Vt sentias fore numero,
Relicta per vestigia
Humilis Tonantis ambula.

Pes est honoris humilitas:
Tibi surget hoc fundamine
Virtutis omnis sanctitas,
Veræque culmen gloriae.

Intelligentiæ jubar
Superbiæ abscondit tumor;
Fons & parens sapientiæ
Sublimioris, humilitas.

Humili oculo Sapiaentia
Se monstrat; elatum latet:
Sapiaentia elatos latet;
Latet superbos veritas.

Virtutis omnis vinculum,
Fulcrumque habe modestiam:
DEUS superbum destruit,
Inopemque ditat spiritu.

Mites benigno lumine
Mentes videt clemens DEUS:
Sed turgidos mortalium
Calcere factus assolet.

Vt magnus in te sit DEUS,
Opta esse parvus, aut nihil:
Crevere de nihilo omnia,
Quæ monstrat orbis maxima.

Summum futurum quidquid est,
Id omne ab imo nascitur:
Quidquid vides nunc maximum,
Id antea minimum fuit.

Mentes quid exiguas vocas,
Magnasve? solus est DEUS:
Mens magna: sed parvas amat
Habitare, quas nutu regat.

Cumulare virtutes nequit
Elata mens; par est ei,
Qui, quem manu gestat, vagæ
Committit auræ pulverem.

22. Ama esse mitis, & pius:
Telluris & Cæli bona
Mites manent; sunt mitibus
Delata sceptrâ mentibus.

Si cælitum vitam sequi
Tranquillus optas; infimo
Positus loco, nec alterum,
Nec altiorem cogita.

Quos VIRGINIS-MATRIS favor
Mites facit, castos facit.
Habitare vix unam solent
Superbus & castus domum.

Quò totus in tuum nihil
Profundiùs descenderis,
Hòc inde scandes altiùs:
Novissimus, primas. feres.

23. Submissionis infimus
Fit pluris in Cælo gradus,
Quàm quidquid absq; illo, DEO
Te præstiturum cogitas.

Se quisquis infra ceteros
Humiliat, exaltabitur:
Qui se supra vel unicum
Exaltat, humiliabitur.

Haud errat ille, qui volens
Se sede in imâ continet:
At summa qui spe devorat,
Nondum fat aptus infimis.

Dum vivis exul, omnibus
Si te lubens submiseris,
Spera soluto corpore
Præstare posse ceteris.

Res monstruosa, muneris
Summo in gradu mens infima:
In sede quæ magnâ sedet
Pusilla virtus, fit minor.

Te, quando vives ultimâ
Abjectione abjectior,
Et altitudine altior;
Nec spes movebit, nec metus.

Time quod altum est: infimas
Sedes amat modestia:
Positus in alto, proximas
Superbiæ causas habet.

Animi humilis modestiam
Fac tanti, ut omni industriæ
Diffusus, omni Numinis
Te munere indignum putes.

Te nemo ridiculum putet,
Lubens deorsum quòd manes;
Sed altiora quòd petens,
Ad ima pronus laberis.

Mentis profunda simplicis
Demissio oblectat DEUM,
Et lata cordis caritas.
Humi jace: fratres juva.

Non ambitus te vanitas,
Sed vita tollat altior:
Hæc te beabit; sed tuo
Detrudet ista de loco.

Agnosce sic tuum nihil,
Vt non in hoc sistas gradum.
Perdes nihil, cum te tuo
Toti unies nihil DEO.

Pla.

Placuisse displiceat tibi:
Oculis deinceps nec tuis,
Nec corde, nec linguâ utere,
Sponso nisi ut placeas DEO.

Sis, mentis ex sententiâ,
Pufillus intus & foris:
Mundoque mortuus, DEUM
Amore nudo dilige.

Est ille pauper spiritu,
Quem nulla mundi res habet;
Cui nulla res, præter DEUM,
Nisi propter ipsummet, placet.

Est ille pauper spiritu,
Qui nudus affectu, rei
Ceu nil habens, habet omnia;
Hòc ditior, quò nudior.

24. Ex Angelo fecit bono
Nequissimum superbia.
A stirpe qui vocandus est?
Superbus, an superbia?

Est, quidquid error ventilet,
Se quisquis ignorat, miser:
Se nesciens, superbus est;
Superbiam nescit salus.

Animi fugis modestiam?
Fugis salutem: dissipat
Elata Numen pectora,
Humilesque salvat spiritu.

Superbia est indusium,
Quod si vel indueris semel,
DEI absque magno munere,
Magnaque vi, numquam exues.

Superbia est infania,
Quâ funditus mens prædita,
Nisi adjuvetur cælitus,
Nequibit hanc dimittere.

DEUS superbis (dura vox!)
Resistit: at, vox durior,
DEO superbus (ô pudor!)
Resistit, & placet sibi.

Cor à DEO superbia,
Morumque saltus, separat:
A peste tu tali procul
Recede, ut accedas DEO.

Ab arrogantia fuge:
Corrupta nos eò vocat
Natura, per quam turgidi
Vani que mortales sumus.

Quis vidit vnumquam lacrymis
Rifuque monstrum dignius,
Inope superbo? inepta res,
Res major humanâ fide.

Miseria cum superbiâ
Tecto sub uno victitant:
Dignum cachinno, vix fide
Monstrum, nisi esset res frequens.

Hòc arrogantis amplius
Superbiæ virus nocet,
Quò publicè patet minus,
Latetque privatim magis.

25. Mirum, quòd humili sub pede
Non spina fiat è rosa,
Ceu pignus atque tessera
Augendæ in ævum gloria.

O 3

Mirum

Mirum, superbo sub pede
 Quod spina non fiat rosa,
 Levamen & solatium
 Augendi in æternum probri.

Pluma est tibi supra caput;
 Vtroque super sub pede:
 Vtrumque numquid arguit,
 A capite te ad calcem levem?

26. Quisquis placet nimiùm sibi,
 Levitate fit nimiã gravis.
 Tibi nemo; solus, unicus
 Places tibi; tu nemini.

Qui se superbus, & sua
 Amat æstimatque, dignus est,
 Os cuius occupet stupor,
 Opusque castiget pudor.

Insignis est vecordiã,
 Aut mentis emotã nota,
 Quod te esse cum dicas nihil,
 Immensa de te sentias.

Oculo DEI si te vides,
 Pro verme, cinere, pulvere,
 Nihilove habes; teque omnibus
 Submittis, atque singulis.

Habitare tecum sic ama,
 Vt te nec extra quærites,
 Nec alta de te sentias,
 Nec arroges quidquam tibi.

Hæc sola quæ tuâ in manu
 Sunt, pertinere ad te putes;
 DEIque munus æstimans,
 Minora transi cetera.

Agnoscis unde veneris;
 Vbi exul erres: patriã
 (Hæc inter exilii mala)
 Dilata suspiras bona.

Mentis salutem consciã,
 Dubiumque finem cogitas;
 Vnaque res facis duas,
 Calcas te, & exaltas DEUM.

O te beatum, qui hoc agis
 Vt liber ista pensites,
 Vitæque suspensum tuã
 Aliunde non habeas modum!

27. Miseria digna lacrymis!
 Pacem modesti pectoris
 Laudas, & ambis: nec tamen
 Superbus esse desinis.

Miseria digna lacrymis!
 Perire cum scientiã
 Te posse credis: nec tamen
 Superbus esse desinis.

Miseria digna lacrymis!
 Scis posse te miraculis
 Clarum, perire: nec tamen
 Superbus esse desinis.

Miseria digna lacrymis!
 Cum verberatis artibus
 Te posse perdi: nec tamen
 Superbus esse desinis.

Miseria digna lacrymis!
 Spirare te scis pendulum
 Sub ungue mortis: nec tamen
 Superbus esse desinis.

Miseria

Miseria digna lacrymis !
Humilis haberi, humilis mori
Amas, & optas : nec tamen
Superbus esse desinis.

Miseria digna lacrymis !
Palàm fateris, te boni
Nil ex te habere : nec tamen
Superbus esse desinis.

Miseria digna lacrymis !
Scis, si quod es, vel habes bonum,
DEI esse donum : nec tamen
Superbus esse desinis.

Miseria digna lacrymis !
Hostem superborum DEUM
Audis, legisque: nec tamen
Superbus esse desinis.

Miseria digna lacrymis !
Omnem superbo inutilem
Credis laborem : nec tamen
Superbus esse desinis.

Miseria digna lacrymis !
Crucem superbiæ parem
Nullam experiris: nec tamen
Superbus esse desinis.

Miseria digna lacrymis !
Scis, quàm superbum spes, metus,
Livorque vexet : nec tamen
Superbus esse desinis.

Miseria digna lacrymis !
Te criminis clamas reum
Dignum gehennâ : nec tamen
Superbus esse desinis.

Miseria digna lacrymis !
Dubitas bonorum de grege
Sis, an malorum : nec tamen
Superbus esse desinis.

28. Fastum superbi daemone
Elide mentis subditæ
Modestiam, & sacra tui
Retentione pectoris.

Cur sæpè moles regias
Rara incolit modestia ?
Quò sæpè surgunt altiùs
Muri, hòc magis mores ruunt.

Ædes superbas dum struis,
Pietatis Aram destruis ;
Fit, ut polo minantibus
Muris, solo mores ruant.

Amor proximi.

1. **A** Cceptus ut vivas DEO,
Hunc mente totâ dilige:
Te, propter ipsum ; proximum,
Vt alterum te, sic ama.

Lex est amoris lex DEI.
Amore dignus est DEUS,
Et propter ipsum proximus;
Sic te in DEO, & fratres ama.

Diligite, filioli mei,
Diligite vosmet invicem:
Diligite, filioli mei,
Diligite vosmet invicem.

Homi-

Homines habe pro fratribus:
Si quemlibet mortalium
Amore non amas DEI,
Es ipse mortuus DEO:

Si proximum odis, & tamen
Amare te jactas DEUM;
Impostor & mendax amor
Te fallit, haud fallit DEUM.

Placere cur nequeat tibi,
Placere qui potest DEO?
Amare te negas DEUM,
Si quem DEUS amat, non amas.

Amore CHRISTI homines ama,
Ceu vera viva Numinis
Simulacra: nullæ imagines
Probius repræsentant DEUM.

Vis scire quænam imagines
Meliùs repræsentent DEUM?
Vera, atque viva Numinis
Simulacra, sunt viri boni.

Ego, & meus frater, duæ
Spectandæ imagines sumus:
Mihi pulchra imago fratris est,
Dum spectro deformis meam.

Imagines estis duæ;
Tu prima, frater altera:
Primam vides imaginem?
Mox alteram veneraberis.

Non oris, aut facundiæ,
Aut comitatis gratiâ;
Sed uno, & æquo Numinis
Amore, quos amas, ama.

Si verè amas, non illicis
Facundiæ, aut formæ decus
Attende: mentis gratiam
Divina præfert caritas.

Vnius in DEI Patris,
Domusque Matris filios,
Qui monstrat adfectum parem,
Domui sibi que consulit.

Esto omnibus, quoad licet,
Benignus: at primo loco
Habe propinquos sanguine,
Vel instituto, vel domo.

Quis liberalem te fore,
Aut esse credat exteris,
Qui te fuisse pluries
Tuis iniquum viderit?

Iuvare & ignotos stude,
Et exteros, si quâ potes:
Res magna sceptrum; major est,
Meritis amicos quærere.

Amemus ut qui nos amant,
Iuvenus ut qui nos juvant,
Nativa suadet æquitas:
Hostes amare, lex jubet.

Ignara gens DEI, à quibus
Amatur, hos prudens amat:
Tu Christianus, à quibus
Vexaris, hos simplex ama.

2. Fratrum & tori concordia,
Sunt ic̄ta cælo fœdera;
Duo pulchra amoris vincula,
Duo rara in orbe gaudia.

Quoties

Quoties duò, tres, quattuor,
Plurésve IESU in nomine
Sunt congregati ; hos inter est,
Mediusque IESUS ambulat.

O convenire si mihi
Mecum daretur nomine
IESU in tuo ! sic sentiam
Te cordis in medio mei.

Lis rara, fratrum gratia:
Hos inter, aut nullum, aut leve
Certamen est, nisi æmulæ
De caritatis ambitu.

Fratres fit inter mutuus
Amor, honor & fidelitas:
Nequit absque tali glutine
Durare Congregatio.

Tibi vive sic, sic alteri,
Ut ille dicat, velle te
Pacem tibi, pacem sibi,
Vitioque bellum indicere.

Quales amicos expetis,
His talis esto: sit tibi
Benignitatis aculeus,
Inspecta CHRISTI caritas.

Res pulchra fidus est amor,
Corvo sed albo rarior:
Vix fidus est vel unicus
Amicus è tot millibus.

Ama ; sed antè judica
Amore dignos: non amor
Tibi iste iudicium auferet;
Non hoc, amorem deferet.

Ut sis domi, domesticis
Opem fer indigentibus,
Pietate, consilio, manu:
Ni feceris ; domi exulas.

Tibi laboras, cum bono
Fratris laboras: alter est,
Sed alter est tu : te quoque,
Ut alterum se, diligit.

Manus manum, vice mutuâ,
Dextram sinistra confricat;
Digitumque digitus abluit:
Opem fer, accipiens opem.

Cæco fit oculus loripes;
Fit cæcus huic pes: mutuat
Vterque, quo alteruter caret;
Cæcus oculos, claudus pedes.

Sociabile est animal homo:
Hominū indigent homines ope:
Hinc congregata familia,
Hinc pagus, urbs, provincia.

Homo unus est homini lupus:
Homo alter est homini deus:
Adam vetus, lupus homini;
Adam novus, Deus homini.

Vrbs servat urbem, vir virum ;
Fricat & lavat manus manum:
Non terreis, sed ferreis
Sit urbs amicta mœnibus.

Sic, omne quod vult, caritas
Vult, ut nihil fervet sibi:
Amor suum nescit lucrum;
Dat cuncta, prodigus sui.

P

Sic

Sic omne quod voles velis,
Tibi ut tuum ferves nihil:
Privata spernit caritas;
Se donat, abdicat sua.

Vbi caritas est, fortior
Haud spernit imbellem manum:
Numquam minores Angelos
Majora spernunt Seraphim.

3. Est unitas pax cordium:
Hanc multitudo dissipat;
Nisi ingenl diversitas
Morum unitate consonet.

Est rara fratrum gratia;
Affinium rarissima:
Affinitas, cognatio,
Et invidere, sunt simul.

De proximi gaude bono:
Quod amas in altero bonum,
Facis tuum; quod non amas
Bonum, tuum facis malum.

Ambagibus nil est opus:
Et veritatis lumine,
Et caritatis glutine,
Humana vita neçitur.

Nil veritate certius;
Nil caritate fortius:
Est vita, cara veritas;
Est vita, vera caritas.

Ne transferâris ambitu;
Nodos necessitudinum,
Et vota amicorum, magis
Amicâ vincat veritas.

Si veritas fordet tibi,
Placetque amica vanitas,
Fies amicus nemini;
Sed nec tibi, nec Numini.

Sic cede amico, ut fit tibi
Potior amico veritas:
Sit recta amicus linea,
At veritas sit circulus.

Contende amico non malè
Amicus esse: hunc adjuva;
Sed sic, ut ejus gratiâ
Peccare ne quid audeas.

4. Fratres amare desinis?
Non es fidelis fratribus.
Abest amor? fides abest.
Abest fides? abest amor.

Operum malorum, & omnium
In orbe litium sator,
Videre gaudet à tuis
Te dissidentem fratribus.

Cæli est opus, communitas;
Ars Tartari, divisio.
Miraris? Vnus est DEUS;
Est multa turba dæmonum.

Ædes struit concordia,
Discordiâ muri ruunt:
Vbi inquilini dissident,
Turbata labitur domus.

Vbi cordium discordia
Ædes sacras occupat;
Obstat, obstrepitur DEI,
Sanæque mentis vocibus.

Vbi

Vbi turba sensu diffidet,
Christique pacem dissipat;
Ibi arte nullâ, sed fugâ,
Spera esse tutus, & tuus.

Ab æmulatorum te domo
Abjunge: quò minùs malis
Præsens placebas, hòc magis
Placebis absens optimis.

Coactus inter æmulos
Habitare, totis à DEO
Contende votis, fortiter
Injuriam ut possis pati.

Vbi inquilini plurimi,
Ibi plurima est turbatio:
Vbi una mens est omnium,
Ibi inquilinus unus est.

De jure nonnihil tuo
Da litiganti: de fabâ
Cum fratre, vel casâ nuce,
Pigeat virum contendere.

Doloris est proles dolor,
Lis litis, & pacis parens
Pax: agro olivas inferre,
Olivitas oleas dabit.

Nil fronte primâ tam grave,
Quod non dierum plurium
Mollefcatur usu: sed suâ
Vilefcit assuetudine.

Hinc & simulas æmula
Inter sodales nascitur;
Hinc excitata nausea
Sodalitatem diffuit.

Amicus fidelis.

I. **N**Vlla est fideli, candido,
Pioque amico, certior
Possessio: sed ne tibi
Sit fœdus ullum cum nigro.

Nil possidere te putes
Fideli amico ditius:
Pecuniæ, in periculis,
Constans amicus prævalet.

In orbe nil præstantius
Fidis amicis. Hos probat
Res arcta, verbum liberum,
Brevis ira, continuus favor.

Adversa amicum res probat;
Parat secunda, quem probet:
Sic læta amicos aggregant;
Firmant eosdem tristia.

Secunda amicum res parat;
Adversa amicum res probat:
Est rarus aut nullus viris
Amicus infelicibus.

In rebus arctis qui fidem
Colunt, amicos æstima:
Fortasse tales pauculos
Hoc æstimabis tempore.

Nil fido amico dignius:
Talem procella temporum,
Non vina monstrant: quod decet
Te, & quod juvet, talis dabit.

Est dulce amico, res quoque
Videre amici prosperas;
Et triste tristes: sentiunt
Bona, mala, amici mutua.

Quem mensa amicum dixerat,
Cras dicet hostem veritas:
Non mensa mansurum solet
Monstrare amicum, sed fides.

Vt verè amicus audias,
Promptam jacenti da manum:
Vt sis amicus, censeas
Casus amicorum tuos.

2. Vix ullus uspiam est homo,
Qui non amicus sit sibi;
Nec ullus esse, quàm sibi,
Amicior solet alteri.

Haud ille amicus est tibi,
Qui vel sibi esse nesciat;
Vel qui sibi ipse sit nimis:
Sibi benè amicum delige.

Sic esto amicus omnibus,
Vt antè amicus sis tibi:
Sic te bonum præbe bonis
Malisq̄ue, ne tibi sis malus.

Faciliùs & libentiùs
Dic laudem amici, quàm tuam:
Nimis te amanti, non erit
Amicus uspiam tibi.

Qui non sibi sat commodus
Fuerit amicus, utilis
Amicus haud erit tibi:
Bonus sibi, bonus alteri.

3. Amica amicis optimi
Optant amici; quæ placent,
Placent utrisque: hostes novi
Veteres amicos nesciunt.

Et fronte & aure simplici
Dictum sodalis excipe;
Ne vitream credat fidem,
Cujus probat vitream cutem.

Si laude amicus dignus est,
Huic invidere sit pudor:
Si pœna; amico est utile,
Pulchrumq̄ue amico parcere.

Ne rebus antiquum in malis
Amicum ob iram desere;
Probant amicum turbida,
Vt ignis aurum, tempora.

Mores amicum quem vides
Mutasse, noli carpere:
Sed prima gratus æstima
Veteris amoris pignora.

Mores amici noveris,
Non oderis: quem commodum
Tulisti amicum, dignus est
Quem post feras incommodum.

Ne sis amico turpiter
Ingratus antiquo, cave;
Ne jure te fidei datæ
Fregisse dicat tesseram.

Times amicum? vim negas
Te nosse tanti nominis:
Metuens amicum, mutuò
Amicus ut metuat, doces.

Ami.

Amicus instabilis tegit
 Quod mōstrat hostis: huic parum
 Debere te fidei puta,
 Cujus vacillārit fides.

Quod immerenti, innoxio
 Infertur, est vulnus grave:
 Sed est amici quod manu
 Infligitur, gravissimum.

Studio mei medullitus
 Me diligis? dic quod lubet.
 Sed antecedens ni probas,
 Negabo consequentiam.

4. Ut mentis obtineas bonæ
 Constantiam, similem tui
 Tibi quære amicum: uno diu
 Quis stare possit in pede?

Multum igne, multum eges aquâ;
 Plus fido amico: rarior
 Ut est, ita esto carior,
 Erit aqua, & ignis hic tibi.

Se præter unum, cetera
 Oculus videt; tibi in tuis
 Consultor adsit: pes pedem
 Requirit, & manus manum.

Rei gerendæ pervigil,
 Fidusque sit monitor tibi,
 Errata, cujus indice,
 Nescire non possis tua.

Melior probato nullus est
 Medicus amico; faucius,
 Ne posce ab ignotis opem:
 Ignotus ignoto nocet.

Fidei bonæ medico tui
 Committe curam corporis:
 DEI Sacerdoti tui
 Committe ductum spiritûs.

Est mentis ægræ pharmacum,
 Lucunda amici oratio:
 Brevis est labor, mœstum brevi
 Monere amicum verbulo.

Mœrore confecto deest,
 Superatque cogitatio:
 Superat mali serò agniti;
 Deest medelæ, aucto malo.

Non verba, sed præsentia
 Morbos revellunt pharmaca.
 Cura, & file: medicus loquax,
 Secundus ægro morbus est.

Monitori amico da manum,
 Animumque: plus placeat joco
 Pungens amicus, quam tuum
 Vngens adulator caput.

Amoris ictus æstima,
 Amaque: nolunt lædere
 Animos, manusque diffitas:
 Amica jungunt vulnera.

Monitore amico nil habe
 Antiquius, quem res probet
 Adversâ; qui, non quod placet,
 Sed quod juvat, persuadeat.

Minuta amici erratula,
 Illustrium serie operum
 Difflare disce, & agnitæ
 Virtutis abde pallio.

Errata amici clàm argue,
Palamque adorna laudibus:
Mediocribus tamen; suus
Vt constet ornato pudor.

Amicum habe pro te altero;
Hunc, si quid errat, clàm mone,
Toleraque: nescis an tui
Errata amici sint tua.

Vitium sodalis si feras;
Facies tuum: tibi tribuet
Lex, quidquid ille, teste te,
Sinente te, peccaverit.

Amas, amandoque admones;
Sed respicientem? ne prius
Desiste cœpto, quàm tui
Amoris æstum sentiat.

Si te monentem candidè
Sprevisse fratrem pœnitet;
Benè est: amicus is tibi
Nunc, qualis ille tunc erat.

Quem conspuebas candidè
Monentem amicum, non decet
Hunc pœnitere; nam tibi,
Quod esse debebas, fuit.

5. Ambos in unum nos duplex
Necessitudo glutinat,
Et sanguinis propinquitas,
Et Christiana caritas.

Duos, amicitia, impares
Vos junxit, ut faciat pares:
Vt par amicorum pari
Idem trahant passu jugum.

6. Amari, honorari cupis?
Ama atque honora: mutuus
Honos amorque coalitam
Sodalitatem vincunt.

Amas amari? te optima
Involve virtutis togâ:
Nam nemo virtuti agnitæ
Honestè amorem denegat.

Virtute amicitias tibi
Et mentis obsequio para:
Cognitionis maximæ
Benevolus animus est pater.

7. Inimicus esto nemini;
Bis amicus esto nemini:
Qui verè amicus est semel,
Inimicus esse non potest.

Simulata caritas fuit,
Non vera, quæ esse desit:
Sinceri amoris vincula
Nullus resolvit terminus.

Semel quod esse desinit,
Vix, quod fuit, verè fuit.
Quoties amor verus fuit,
Fuit, est, eritque; æternus est.

Te, quantus es, debes DEO.
Debere si vis patriæ,
Sit prima cælum; si placet
Debere amicis, primus es.

Ne fidi amici gratia
Cum vitâ amici cõncidat;
Donis, & officiis bonis,
Illius orna posteros.

Te

Te lentè amicis alliga;
At solve amicos lentius:
Res turpis est, puerilibus
Amor ligatus legibus.

Facilis quidem sis omnibus;
Paucis sed admodum utere.
Homo omnis, unus est homo,
Non una mens est omnium.

Ne fide vento mobili:
Paucis amicis utere.
Vbi pudor est, ibi est fides.
Spe messis agros excole.

Hominem sereno quemlibet
Vultu excipe: est humanitas
Nexus necessitudinis,
Sodalitatis vinculum.

Iniquè agis, quisquis studes
Penetrare fratris abdita;
Quem mente subducta velis
Celare, quidquid est tuum.

Eleëmosyna.

TE proximũ propter DEUM
Amare, factis indica.
Nisi indigenti subvenis
Ope, verba vix faciunt fidem.

Te rebus orna splendidis,
Insignibusque dotibus:
Tantum caveto, ne insolens
Orbos egentes spreveris.

Esto benignus omnibus;
Vultu bono omnes excipe;
Delecta amicos; spes fove;
Ama esse pauperum pater.

Ne pauperis vultum fuge:
Generis tui formam gerit.
Quàm pauper es, qui sub DEO
Auram trahis precariam?

Ne pauperum vultus fuge:
Hi præferunt speciem tui;
Hi, dum petunt, cælestia
Tibi pollicentur præmia.

Vbique adora Numinis
Arcana sensa: quem foris
Inopem vides, intus vide,
Quàm te sit ille ditior.

Hospes, viator, indigus,
Vidua, pupillus, turba sunt;
Sed turba cunctis divitum
Tibi præferenda cœtibus.

Quando DEUS te copiâ
Opum beavit ubere;
In indigos largâ manu
Depende, quod superat fatis.

Iacentis ecce Lazari
Ad membra se sternunt canes,
Vt fœda lingant ulcera:
Exemplar haud pudeat sequi.

O qui pupilli lacrymas,
Famem, sitim risu excipis,
Qua fronte judicis DEI
Ridebis ultrices manus?

An-

Te

Antiqua qui vidit mala,
Dixit; Refrixit Caritas.
Qui viderit præsentia,
Dicet; Sepulta est Caritas.

Tu, lecta proles cælitus,
Amore cæli, sæculi
Sordes triumphæ: quod dabis
Egenti, id unum erit tuum.

Quæcumque de CHRISTI sacrâ
Hereditate possides,
Insime, non prout lubet,
Sed ut DEI œconomum decet.

Abundat idem, qui caret,
Hinc plenus, hinc vacuus boni;
Vt quo quis unus indiget,
Hoc dives alter suppleat.

In orbe nil pretiosius,
Nil carius Meo & Tuo.
Nil pluris orbis æstimat
Quàm posse jactare, hoc Meum.

Nil carius tibi est Tuo,
Nil carius mihi est Meo:
Vt de Meo faciam Tuum,
Tu de Tuo facias Meum.

Fac orbe toto ut pessima
Duo exulent pronomina;
Hic orbis, Oratorii
Erit una Congregatio.

2. Nimis cor humanum omnibus,
Quæ tractat, hæret: tu gravem
Superfluorum sarcinam
Depone, sat gravis tibi.

Vt alas egenum, vel tegas,
Superflua aufer vermibus:
Rex debitor factus tibi,
Regnum rependet frustulo.

Nimio laboras: hoc stude
Supplere pauperum parum.
Tibi plena vini dolia;
Vix pauperi est aquæ fatis.

Opum sit instar omnium
CHRISTO potiri: ut sit tuus,
In indigentium sinus,
Quidquid redundat, eroga.

3. Extrema, pauper, quem premit
Fame & siti necessitas,
Desiderati pabuli
Potusque justus est herus.

Non fur vocandus, qui capit;
Sed tu, petenti qui negas:
Vt pane vescatur suo,
Dat & facit necessitas.

Si pane eges, & accipis;
Non accipis, donas magis:
Si non eges, & accipis;
Id omne quod capis, rapis.

4. Da; fratris est nudi toga,
Quam claudit arca; calceus,
Discalceati, qui ultimo
Putret domus in angulo.

De veste, de victu tuo
Hoc deme quod superfluit,
Et lætus adde pauperi:
Excrescet, ut pergas dare.

Qui

Qui panis unus suppetit,
In pauperes hunc divide:
Vnum, duos, tres, quattuor,
Plurésve submittet DEUS.

Qui pane abundas, & domo,
Vtrumque egenti commoda;
Menſæque pauperes tuæ
Adhibere convivas ama.

Peregrè vagantes advenas
Benignus hospitio excipe:
Affunde plantis herbidas,
Viâ fatigatis, aquas.

Versus plateam pauperi
Pateat domus: qui dives es,
Esto hospitalis; ut tui
Sint pauperes domestici.

5. Vis esse Martinus DEO?
Martinus esto pauperi:
Da liberalis indigo,
Quæ prodigus dedit DEUS.

Sis alter Ivo: commodam
Divende linguam nemini;
Da pauperi. Beneficiis,
Egentium causas eme.

6. Quod, quem vides, ægro facis;
CHRISTO facis, quem non vides:
Quod non levabit tædium
Tam grata Cælo Caritas?

Quod munus ægris erogas,
Hoc muneratori DEO
Das, sive reddis, ut novo
Capias remensum fœnore.

Vis ut famentem te DEUS
Cibet? famentem tu ciba.
Vis, ut seipſo te DEUS
Nudum induat? nudum indue.

Quàm plena, non spectat DEUS;
Sed quàm sit innocens manus,
Quæ munus offert. Munus est,
Quæ Numini placet manus.

Cùm pauperem abs te rejicis,
CHRISTUM rogantem submoves.
Petes vicissim: sed DEUS
Te submovebit supplicem.

Felix egenti commoda;
Habebis auxilium miser:
Adjutor in loco potest
Mendicus esse diviti.

Mifero homini qui condolet,
Meminit sui: cras aut brevî
Posse evenire intelligit,
Simili ut ope sit opus sibi.

Vt magna de cælo metas,
Da parva terræ munera:
Minora, quæ das pauperi,
Majora reddet Caritas.

Nil paupere est securius,
Cui solus una spes DEUS.
Tu dives indigum, suos
Vt aquila pullos, sic fove.

Benefacta, quàm vastas opes
Numerare præstat: effluunt
Opes, opumque gloria;
Operum perennat gratia.

Q

Misc.

Miseris egenis munera
 Quot miseris, numerat DEUS,
 Et munerat; nisi impedis
 Numerando, ne illa muneret.

Ne crede, quod donaveris
 Amore CHRISTI, perditum:
 VNUM DEUS denarium
 Centum repensat aureis.

Quæ liberali das manu
 Minuta egeno munera,
 Hæc ipsa mensurâ DEUS
 Remetietur centuplâ.

Largire non unâ manu;
 Vtraque sparge munera:
 Quod indigenti porrigis,
 Haud munus est, sed mutuum.

Ærarium tutissimum
 Crede esse pauperis sinum:
 Scitoque plus abs te capi,
 Cùm das egeno, quàm dari.

Quodcumque habes, hoc à DEO
 Datore habes; ut centuplum
 Post reddituro des DEO.
 Quod das, tuum non est; erit.

Nec das egenti: quid dares?
 Nihil est tibi, & minus nihil.
 Non das: sed in te dat DEUS,
 Tibi daturò, qui dedit.

Beatus es, quisquis bonis
 Mansura fluxis comparas;
 Vitæque momento brevis
 Æternitatem parturis.

DEI est dare; accipere hominis:
 Sed illud hoc beatius.
 Quot nostra dicent tempora
 Beatiores, aut Deos?

6. Hilarem datorem ardentius
 DEUS amat: hunc cumulatius
 Solatur; hunc læto sui
 Favoris ornat munere.

Ne crede, quod dederis, datum,
 Nisi des libenter: destruit
 Illiberalior manus,
 Tristisque vultus, gratiam.

Fac promptus, & da quod potes:
 Satis dat, & facit satis,
 Qui quod dat & lubens facit,
 Nil esse credit, aut parum.

Nisi des libenter, ne putes
 Datum esse, quod das: libera
 Frons dona ditat; sed manus
 Invita jugulat gratiam.

Tua largiendi egentibus
 Occasiones quærita:
 Dives benignus pauperis
 Petitionem prævenit.

Bis ille dat, qui dat citò:
 Si quid negas, citius nega.
 Cui negatur illicò,
 Minore damno fallitur.

Tibi misero gratis DEUS
 Dedit benignus omnia.
 Da quod potes gratis: bonum
 Venale, pessimum est malum.

Da

Da non potenti reddere ;
Da nec petenti: non parum
De dignitate muneris
Decerpit & pretium & preces.

7. Facilem roganti cuilibet
Præbere te haud semper decet:
Amor satur, citò despicit;
Despectio, rixas parit.

Si rerum abundè sit tibi,
Largire quod superest: tamen
Vide cui des ; si bono,
Das optimam partem tibi.

Dona merenti: ubi hoc agis,
Beneficium dando accipis.
Si pluribus mavis dare ;
Da digno, ut omnes obliges.

8. Desunt opes? Hilara hospitem.
E fronte jucundâ tibi
Opes scatebunt: divitem
Saturabis, hospes hospitis.

Quæ pauca donas pauperi,
Hæc multa censet: æs leve
Aurum putat; dat muneri
Et pondus, & numerum tuo.

9. Memorem benigno diviti
Repende pauper gratiam:
Fieri malignum divitem,
Egenus ingratus facit.

Rerum indigus, ne diviti
Rerum tenaci supplica:
Frustrâ rogatur, qui prece
Nullâ potest mollescere.

Audis ubique, Da, date ;
Vix in rate auditur, Cape.
Stipem negandi pauperi,
Vix causa avaro deficit.

Est dulce plenum obsoniis
Videre diviti forum:
At dives istud pauperi
Durum videri non videt.

Avaritia. Prodigalitas.

Paupertas spiritûs.

1. **E**st Dives in sacris libris ;
Sed dives absque nomine:
Est pauper in sacris libris ;
Sed nominatus Lazarus.

Te, quos amet, quos oderit,
Quos damnet aut beet DEUS,
Damnatus æternum docet
Epulo, & beatus Lazarus.

Quid est avarus? homuncio
Radius ab auri pendulus ;
Idemque ab aurâ pendulus,
Minor auro, & aurâ inanior.

Vt à pecude pecunia
Dicatur, æquitas jubet ;
Vt quod vocare vult suum,
Habere gaudeat pecus.

Sus, fordidum pecus, suo
Sepulta dum vivit luto,
Prodesse nemini solet:
Quid avare distas à sue?

Q 2

Ava-

Avarus in nullum bonus,
Est in seipsum pessimus:
At qui sit in se pessimus,
Cui possit esse non malus?

Labore partis improbo
Parcis bonis, ut interim
Siti labores & fame?
Ridenda avari vanitas!

Crux est avari, mortuo
Egere in auro, & artibus
Ter mille stipatas opes
Punire parsimoniâ.

Sudore quod paras tuo,
Cur non idem pares tibi?
Qui servat alteri sua,
Sibi que parcat, desipit.

Aliqua inopi, sed omnia
Desunt avaro: nomine
Lucrum atque damnû differunt:
Quod adest, abesse deputat.

Inops eget, quisquis cupit:
Multum licet crescant opes,
Multum tamen curtæ rei
Putat deesse, si cupit.

Optimne dives, dives est?
Pauperrimo est egentior.
Gemmis egere, est divitis;
Egere pane, pauperis.

Vbique habet pauper parum:
Mendicus usquam nil habet:
Vbique habet dives nimis.
Quid nemo? nemo habet fatis.

Te clamat arca divitem;
Cupido pauperem facit:
Hanc sterne, ut arcæ sit fides;
In copiâ aut vives inops.

Huic esse nil potest fatis,
Cui, quod fat est, haud sufficit:
Cupidinis semper novæ
Excreset immensum furor.

Te, quando acervo detrahis,
Habere demonstras fatis,
Et esse verè divitem;
Quando addis, esse pauperem.

Si, quisquis est, fatis sibi
Est dives; unus pluribus,
Quod possident, cur auferat?
An esse pauper eligit?

Nil est avaro iniquius:
Fulvo ille venalem luto
Habet animam. virum, luti
Pudeat nitore decipi.

Es plenus, & quereris nimis
Tenues acervos: quod fatis
Nimis que habes, censes parum.
Sic fulgor auri fascinat.

Avare, quid famem times?
Quid commeatum plurimos
Portas in annos? ne fame
Moriare, victurus diem?

Qui tot quadrantes aggeris,
Avare, patrimonio;
Timésne non plenum fore
Sat posterorum gaudium?

Crux

CruX est nepoti amarior
Frugi esse, avaro quàm dare:
Sistas ruentes ægrius,
Quàm pigritantes concites.

Quicumque ditari studes,
Animæ tuæ addis crimina;
Opes nepoti: at hunc opes,
Tua te sequentur crimina.

Et aurum, & argentum semel,
Bis,ter, quaterque computas
Auare, & arcæ creditum
Veneraris, ut pignus sacrum.

Tibi arca mille millies
Talenta claudat Tantali;
Haud mortis è laqueis tuum
Opes tot expedient caput.

Quousque te pecuniæ
Feret fames,vel hanc feres?
Hæc quando te ingluvies habet,
Haberis ipse, nil habes.

Senex avare,vascula,
Quibus feras viaticum,
In fine præparas viæ?
Quàm fabricas, feres crucem.

Secanda, avare, marmora
Sub funeris tempus locas,
Et jam sepulchro proximus
Moliris heredi domum.

Sub excavato rem suam
Avarus abdit angulo,
Omnesque sub terrâ suos,
Ceu talpa, thesauros habet.

Avarus audit; Quod bonum
Habes,habere desine;
Quod non habes, habe malum.
Mala verba! donando cave.

2. Numquam simul sunt res duę;
Serena mens, & fordida
Nummi cupido: non potes
Avarus esse, si sapiis.

Dives rapax,turpis senex,
Magnus minores opprimens,
Pauper superbus; quattuor
Invisa terris & DEO.

Elata, avara, & invida
Mens monstra parturit tria;
Quæ sancta ni pietas domet,
Valete pax, fama&fides.

Auri fames magnos viros,
Parvosve sæpè perdidit.
Natura, rerum prodiga,
Vitare avaritiam docet.

3. Magnæ esse divitiæ solent
Injuriarum pignora:
Quas quæris,effugient opes;
Opes sequentur,quas fugis.

Est improbè partis bonis
Melior egestas: pejor est
Morbo scelesta sanitas:
Mors est iniquo, iniquitas.

Audire mälis vir bonus
Pauperque, quàm dives malus.
Citò properas ditescere?
Vix dives, evades inops.

Q 3

Vis

Vis esse dives, & citò ?
Spera, time: quod sic cupis
Eris citò, & quod non cupis ;
Citò dives, & pauper citò.

4. Qui magnâ opum vi niteris
Emergere ad summas opes,
Mergèris ipse. Desine
Captare id, unde captus es.

Dum lubrici speciem boni
Stulto labore quæritas,
Te mille certa conjicis
Incertus in discrimina.

Negotium, & curatio
Operosa, magna navis est:
Et magnus affuevit metus
Opum esse magnarum comes.

Rei parandæ, longior
Verè virum spes enecat:
Est parta perdendi metus,
Serenitatis carnifex.

Cumulare qui speras opes,
Cumulare debes & metum:
Nam jure quod quæri potest,
Perdi potest injuriâ.

Labore parta maximo,
Majore servantur metu:
Magnæque semper victitat
Pecuniæ custos miser.

Censum minorem dum times,
Peris labore ; nec fore
Magni putas dispendii,
Quòd morte vitam comparas.

5. Qui dives audis, pauper es;
Peregrinus orbis incola;
Miser inquilinus : quas opes
Adeptus es, non sunt tuæ.

Labore quod tenes tuo,
Est Numinis dono tuum:
Sors otioso quod dedit,
Non est tuum ; eripi potest.

Quas possides opes, dedit
Has Numen in pignus tibi:
Auferre, qui dedit, potest.
Dominus dat ; aufert cum lubet.

6. Pecuniis fidem nega:
Has hora habenti subripit,
Et in novum transfert herum,
Diu tenendas nemini.

Pelago paratis ne tume
Mercator opibus: ast herum
Harum esse ventum cogita.
Hoc si fugis nomen, sapias.

7. Magnum licet sit quærere ;
Servare, majus est bonum:
Dat sæpè fraus istud prius;
Hoc sola virtus alterum.

Servare si famam voles,
Iniqua lucra despice:
Nam damna semper maxima
Fert cum malâ famâ lucrum.

Quæ fraude lucra feceris,
Dispendia esse senties:
Quæstus iniquos assolet
Domûs ruina subsequi.

Rapto-

Raptoris injusti solet
Fieri rapina justior.
Vim prædo, quam fecit, ferat:
Exempla in auctores cadunt.

Lucri frequenter sordidi
Mens pinguefacta polline,
Fit plena tandem spongia,
Duris premenda legibus.

Avare, primus es tuæ
Felicittatis carnifex ;
Origo prima miseræ,
Et pessimus faber tuæ.

8. Quicumque ab exili loco
Dives repente factus es;
Memento quis fueris puer,
Vt, quod tenes, teneas senex.

Fumum dat ignis ; dant opes
Superbiam : pauxillum aquæ
Extinguit ignem ; subruit
Iactura parva gloriam.

Aliquid remitte, imò lubens
Amitte : fert lucrum levis
Iactura : vitis annuè
Putata fit fecundior.

Cùm tempus & res postulat,
Est quæstus ingens, perdere.
Lucris iniquis, ignibus
Fers ligna, morbos corpori.

Res nostra tunc feliciùs
Opinione vertitur,
Non magna quando maximum
Iactura cedit in lucrum.

Parvis pufilla magna sunt ;
Sunt parva magnis parvula:
Honestæ damna, lucra sunt ;
Sunt damna, lucra ingloria.

9. Ne vive avarus, mortuus
Inopi daturus omnia:
Post funus esse pauperi
Qui vult pius, serò est pius.

Ne damna fabrices tibi,
Sic vive, vt inimicos ope
Facias amicos ; & tuis
Fias ut hospes hostibus.

Ad largiendum pauperi
Restrictus, hoc lucraberis
Tibi, ut DEUS superfluum
Damno monetam demetat.

Quis, & quibus sis moribus,
Opes probabunt: has habe
Vice cotis ; ut, quàm sis bonus
Malúsvè, tempus arguat.

10. Sui venenum est prodigus,
Rerumque pestis: hanc fuge.
Egère quem rerum vides,
Egebat initio sui.

Aliena nec sitias bona ;
Nec devores quæ sunt tuæ :
Orbis Charybdes sunt duæ,
Avarus, atque prodigus.

Ne parce prompto sumptui,
Vbi est opus: scopus est opum.
Et finis, usus: te manus
Egère parca non finet.

Sar

Sat rebus esto, res tibi :
 Vtrimque nil desit, vide.
 Fert parcus optatas opes ;
 Feret laborem prodigus.

Tanti esurire prodiga
 Emit manus; mavult manus
 Avara gratis vendere:
 Vtrique quod superest, deest.

Aude quidem uti re tuâ:
 At noli abuti ; ne malè
 Consumpta cum fuerint tua,
 Aliena mendices bona.

Res magna, parvo vivere.
 Beatus ille, cui DEUS
 Modicas opes dat: rarus est,
 Qui nôrit uti grandibus.

Indigna res, pecuniâ
 Vir liberalis indigens:
 Res numquid est indignior,
 Pecunia indigens viro?

Opibus benè uti nescius,
 Opulentus ut sis, quas habes,
 Da non habenti: uti optimè
 Opulentiâ, est inopi dare.

11. Innumera dives possides,
 At pauper es, si te cares:
 Cares teipso ; si tibi
 Fiskus, cares modestiâ.

Est grata semper omnibus
 Rerum omnium mediocritas:
 Sanis placere sensibus,
 Ne mel quidem nimium potest.

Vitam propinqua splendidam
 Sequitur ruina: tu modum,
 Modicique censûs, ultimos
 Cave transilire limites.

Rerum modestis usibus
 Res compara: rerum facit
 Non otiosa copia,
 Sed rectus usus, divitem.

Modicè paratis utere:
 Si sumptus excedat modum,
 Longo quod antè tempore
 Paraveris, perdes brevî.

Quibus carere commodè
 Rebus queas, fuge quærere:
 Hòc plus egere te facit
 Cupido, quantò plus habes.

Opibus paratis utere:
 Opes, quibus crescentibus
 Tibi nova crescit inopia,
 Aliis opes sunt, non tibi.

Avarus omnis pauper est ;
 Neque, quos habet nûmos habet:
 Qui sorte contentus suâ
 Lætatur, ille dives est.

Qui tot vides molestiis
 Vitam scatere pauperum;
 Etiam vide molestiâ
 Majore divites premi.

Mâlis deesse plurima,
 Quàm multa cupere: qui citò
 Vult, & nimis ditescere,
 Ad inopiam facit gradum.

Qui

Qui dives est, nullas opes
Avidè cupit : fitiens opum
Tam pauper est, quantum fitit.
Tu, dives ut sis, dic, Sat est.

Hunc esse cense pauperem,
Qui rerum abundans, plus cupit:
Hunc esse crede divitem,
Qui rerum inanis, nil cupit.

Mediocritate si tuâ
Contentus optas vivere;
Queis plura defunt, hos vide:
Quibus supersunt, præteri.

Contentus esto : si tibi
Quod est satis, non est satis,
Erit tibi satis nihil :
In copiâ vives inops.

Rerum superfluitatibus
Cum dixeris longum vale,
Spem præter, optata obviam
Tibi veniet felicitas.

Quod habes tuum, sat hoc habe:
Hoc plus habere negligè:
Ultrâ quod ultrò-provenit,
Id absque curâ posside.

Rerum quidem recto usui,
Sed & decoro prospice.
Egena quantum postulat
Natura, tantum dat DEUS.

Natura quod satis sibi,
Tibi esse cur censes parum?
Quid jungis ædes ædibus?
Nescis in unâ vivere?

Habens quod usus postulat,
Habes abundè ; nil tibi
Deesse, quo vivas DEO,
Hac forte contento potest.

Secura res, rei modus:
Vitæ quod usus exigit
Habere, iusto sufficit:
Fuge nimium ; placeat satis.

Cum sint dolorum fons opes ;
Minues dolores, si tuas
Minuas opes : sat dives es,
Si forte contentus tuâ.

Gaudere paucis, maximæ
Certissimæque sunt opes:
Nisi pauca pluris æstimes,
Tibi peribunt plurima.

Si læta paupertas placet ;
Abs te quod æstus, frigora,
Fames sitisque postulant,
Mensura censûs sint tui.

Nec frigus arcebit tibi
Ter tincta byssus ; nec teget
Melius pudorem purpura,
Quam lana, vel pannus rudis.

Si, quod satis sit, possides,
Nec possidere plus cupis ;
Res ut tibi quadrat tua,
Sic & tuæ quadras rei.

Quod cui reserves nescias,
Stultum sit auro parcere.
Si velle, quod satis est, potes,
Es dives, & quod vis habes.

R

Non

Non ampla tecta, non agros
Porrectiores appete:
Magnum puta, quod sufficit:
Placeat satis; nihil nimis.

Laudato rura ingentia,
Parvum cole; ubertim metes:
Pufillus ingentes opes
Vincit, vel æquat unio.

Securiora sunt bona,
Quæ parva: sit potior tibi
Secura parva portio,
Quàm magna cum discrimine.

Quæ falce tempus demetit,
Nec multa, nec multum expete:
Tua quò cupido sit minor,
Hòc major est res quam tenes.

Optare multa nil juvat;
Assuesce parvo vivere:
Hòc plura sunt quæ possides,
Quò pauciora quæ cupis.

Sat, pauca, naturæ & tibi.
Quò multa? non eris brevî.
Sat, pauca, fat nihil, mihi.
Quò multa? non utar brevî.

Moderata mens modicum cupit;
Et quod cupit, modicè cupit.
Abundè rerum possidet,
Qui nil habens, cupit nihil.

12. Hunc turpis arcæ, illú occupet
Indigna cura cuticulæ:
Te gloriosum Numinis
Studium colendi exerceat.

Si fluxa sæculi bona
Venaris; expers luminis,
Et liberalis spiritûs,
Iacebis affixus solo.

Si te cupido labilis
Honoris, aut fulvi tenent
Amor metalli, perperam
Vir spiritus alis audies.

Attende cælo; res suas
Habere tellurem jube:
Cum largiore opulentia
Malè sanctitati convenit.

Tecto sub uno non amant
Sedere dives, & bonus:
Tui nitorem pectoris
Ne Plutus inquinet, cave.

Si vana sæcularium
Cupido te rerum tenet;
Opinionis es miser,
Læuæque mentis servulus.

13. Cùm nemo sit, qui non amet
Altæ quietis otia;
Cùm nemo, qui non ambiat
Mentis serenæ gaudia;

Cùm nemo nolit turbidæ
Vitare vitæ tædia;
Quod omnis ambit, aut amat,
Cur rarus, aut nemo obtinet?

Humana corda fascinant
Famæ sitis, pecuniæ
Fames; metus penuriæ,
Et vana vota sæculi.

Quid

Quid corde, voce, quid manu
Desideras, jaëtas, facis,
CHRISTO relicto, Numinis
Ignarus, ignarus tui?

Tibi esse si vis utilis,
Ne quære quod tibi utile.
Quod gloriosum sit DEO
Si quæris, es tibi utilis.

Tibi sordeant præsentia;
Futura te trahant bona:
Lucrum perosus sordidum,
Avarus esto gratiæ.

Habet hoc boni verum Bonum,
Cunctis quod unum sufficit:
Avarus æterni Boni,
Se ditat, aufert nemini.

Vbi congerendæ fregeris
Cupidinem pecuniæ,
Tuum relinques usibus
Communibus peculium.

O qui DEUM sequi cupis,
Et assequi, vestem exue:
Acus foramen arctius
Subire vix nudo licet.

Vt spiritum CHRISTI induas,
Mores superbos exue,
Opumque amorem; plus nocet
Cupido, quàm substantia.

Beatus esse si cupis,
Opes caducas despice:
Has quando mente suspicis,
Et mente, & illis indiges.

Priscis, malisque moribus,
Suos opes fugiunt heros:
Tu Christianis moribus,
Opes herus tuas fuge.

Non arca, sed fiducia
Te protegentis Numinis
Facies beatum: tinnulo
Si fidis æri, eris miser.

Haud ille dives, qui bonas
Opes habet; sed qui est bonus:
Non arca, sed cor liberum
Rectumque divitem facit.

Aliena qui captat bona,
Captatur ipse: liber es;
Vt liberè vivas, ama
Parvo, tuoque vivere.

14. Est dives, agilis & sciens,
Mundi beatus calculo:
Verace sed beatus est
Censore, pauper spiritu.

Tum dives es, tum pulcher es,
Cum pulchrior, cum ditior
Virtus adest: quid sunt opes,
Quas aura difflat crastina?

Cum fluxa credes terrea,
Aberit voluptas, & dolor:
Vtrimque mens eventuum
Secura neutrum sentiet.

Peritura sperne: res quibus
Addictus hæres, projice:
Ejus, perire quod potest,
Spes vana, stultus est metus.

R 2

Hoc

Hoc esse dic, & antea
Fuisse, quod semper manet:
Abire, abesse quod potest,
Dic non fuisse quod fuit.

Opes fugaces divide,
Et finis expertes para:
Sunt, quas recondis, labiles,
Et ante finem diffluunt.

Vilis, levisque reculae
Spontanea abdicatio,
Est grata Caelo: te argue
Rerum tenacem talium.

Sat ille dives, pauperi
Hereditate qui sua
Sic cessit ultrò, ut à DEO
Sperare possit centuplum.

Prudentiae summum genus
Divina censet veritas,
Aeterna ut acquiras bona,
Donare momentanea.

Vt te induas perennibus,
Praesentibus spolia bonis.
Quam dulce momentaneis
Caruisse, & aeternis frui!

Vis esse pauper spiritu,
Simulque dives spiritu?
Cor absque thesauris habe;
Sine corde thesauros tene.

Possunt boni sine cordibus
Habere thesauros viri:
Est absque thesauris pia
Servare corda facilius.

Tunc pauper esse non potes,
Es quando dives in DEO:
Sat dives est, cui vivere
Est CHRISTUS, & mori lucrum.

Es nobilis, patrem tibi
Si credis illum, qui sua
Felicитatis ad gradum
Suos adoptat filios.

Verace si voto cupis
Re pauper esse, & spiritu;
Amore CHRISTI pauperis
Famem sitimque sustine.

Prædonis irridet minas
Vacuus viator: est comes
Scelestus, aurum: pondere
Se prodit, & perdit ducem.

Nudus latrones non timet.
Cur? numquid occidi potest?
Potest: sed occidi, & mori,
Morti paratus, haud timet.

Aliena fortè res tibi
Reperta, te penes cave
Moretur: at sui stude
Redeat ut in manus heri.

Oratio. Contemplatio.

I. **E**Cclesia, est fidelium,
Orationis in domo,
Fraterna Congregatio;
Domus DEI, Oratorium.

Oratio,

Oratio, est mentis piæ
Liber volatus ad DEUM ;
Rei que postulatio,
Rogare quam suadet salus.

Vt grata sint DEO, & rata,
Quæ vota fundis ; id roga,
Non ut tibi quidquid lubet
Contingat, at quod expedit.

Ne postules à Numine
Quam ferre non potes crucem:
At quidquid incumbet grave,
Vt ferre possis supplica.

Opes, honores, corporis
Hac lege vires flagita ;
Si Numini lubet dare,
Tibi que dona proderunt.

Modesta vota implet DEUS ;
Superba reddit irrita.
Nolit DEUS, tu plurimum
Vt unus occupes bona.

Sunt vota stulti putida,
Qui verba, rerum incurius,
DEO susurrat. Tu pete,
Necesse quod sciat tibi.

Si, quod petis, non expedit,
Nil te repulsa lancinet:
Non est repulsa, cum iuvat
Non impetrare quod rogas.

2. Divina res Oratio
Impinguat animum ; terreis
Avellit, ad cælum rapit ;
Benè quod petit bonum, accipit.

Vt mente supplices DEO,
Precum libellus sit tibi
Mens recta ; lector, spiritus ;
Mundum cor, oratorium.

Doctrina sit cibus tibi,
Potus preces ; hæ temperant
Animi cibus, atque digerunt.
Cor mente, corde mens eget.

Negotiosum est otium,
Pia ad DEUM precatio:
Ama otium, quod in pio
Consumitur negotio.

Æterna si vis cernere,
Te pervigil precum calor,
Cultus que perpes Numinis,
Iungat coronæ cælitum.

Nihil graveris, ut DEUM
In vota flectas, centies
Noctu, die que millies
Caput, genu que flectere.

Miseria abyssus infima,
Suprema, Misericordia.
Abyssum abyssus invocat,
Miseria Misericordiam.

3. Frequens Olympo missiles
Precum sagittas dirige:
Fructum laboris uberem
Labore vix ullo metes.

Est Christiani militis,
Oratio, viaticum:
Hoc destitutus pabulo,
Hærebis in vitæ viâ.

R 3

Orare

Orare cessas? progredi
 In optimâ cessas viâ.
 Orare pertendis? boni
 Sectare præscriptum Ducis.

Orationi non vacas?
 Rationis es vacuus: DEUM
 Orabis; ut, quod diceris,
 Oratione sis homo.

Oras, vel erras: negligens
 Orationis, indiget
 Rationis: ergo, ut sis homo,
 Ora, DEOQUE supplica.

Precum calore, sensuum
 Vigor remittit impetum:
 Mens aucta viribus novis
 Admittit infusum DEUM.

4. Vt mentis est duplex opus,
 Sic functio vitæ duplex.
 Externa spectat Actio,
 Interna, Contemplatio.

Expressit hanc olim Rachel;
 Signavit alteram Lia;
 Quæ lippa quantumvis fuit,
 Fuit tamen fecundior.

Quæ quando functionibus,
 Studiisque, vel negotiis
 Miscetur humanis, videt
 Rachele multò obscurius.

At verbo, & exemplo bono,
 Quando hos & illos ad DEI
 Cultum trahit, fit plurium
 Fecunda mater prolium.

Divina Contemplatio,
 Est Veritatis visio:
 Est cuius actus unicus,
 A quo fit ipsa quidquid est.

Te mutuâ & variâ vice
 Nox & dies exercent: :
 Diurna pascat actio,
 Nocturna contemplatio.

Divina contemplatio
 Est summa mentis actio.
 Cur ergò contemplatio
 Videtur esse passio?

An fortè contemplatio,
 Quàm clara mentis actio,
 Tam nuda cordis passio,
 Est actio atque passio?

Externa sed quia actio
 Non est adulti pectoris:
 Hinc, occupata plurimis,
 Assuevit esse plurium.

Vt ergò contemplatio,
 Est una paucorum actio;
 Sic actio, quæ est plurium,
 Turbatur erga plurima.

Ambæ tamen sunt commodæ;
 At laude dignæ dispari.
 Quàm dispari? magna Actio;
 Sed summa Contemplatio.

Est rarus ille, qui potest
 Vtroque fungi munere:
 Cui vidêris aptior,
 Huic plenius cor applica.

Cum

Cùm Magdalenzæ fessio,
Marthæ occupationibus
Melior, DEO sit iudice;
Vnum antepone plurimis.

Si fratris urget caritas,
Omitte vel cœptas preces;
Multum ille, qui DEUM, DEI
Amore deserit, sapit.

5. Non artis, aut scientiæ
Subest modis Oratio.
Hanc ille solus, omnium
Qui corda possidet, docet.

Hominem quidem potest homo
Docere difficili in viâ;
Modò tamen alterius ducem
Sequatur ipse spiritum.

Amore divino duce,
Veni ad precandum; quolibet
Modo preceris, dux amor
Trahet cor, & mentem reget.

Si quæris, ut citò impetres,
Quam rem roges, & quo modo?
Te trade docilem Numini;
Modum docebit, rem dabit.

Vin' scire, quæ sit optima
DEUM precandi formula?
Pete lumen, ut cæcus: benè
Orabis absque formulâ.

Amoris æstus algidas
Methodi catenas respuit,
Artisque leges transfilit.
Amor est amati, non suus.

6. Quas audiat Numen preces,
Te Publicani & Prodigii
Humilis docet confessio:
Sic supplicem attollet DEUS.

Si discis in terrâ DEO
Hominiq̄ue mentem subdere;
Cælo imperabis: abnuis?
Tibi terra cælumq̄ue abnuet.

Spe plenus ora: sed time,
Ne lingua præceps, Numinis
Præsentis obscuret fidem,
Fulgente quâ, fulgent preces.

Cuncta antè gnarus navita
Ad navigandum comparat;
Tum præstoletur denique
Auras faventes à DEO.

Piæ actioni sic stude,
Ceu viribus sudans tuis:
Sudoris omnem sed tui
Fructum fer acceptum DEO.

Laboribus si non tuis
Cælestis accedat favor,
Frustrâ labores; utilis
Est semper orantis labor.

Amore, nudus cetera,
Splende DEI; cælum tuæ
Flectent preces, omnis tibi
Vt cedat in lucrum labor.

Labore, & assiduâ prece,
Nil est inexpugnabile:
Cuncta obtinebis, quæ DEUM
Rogabis, oblitus tui.

Bonus

Bonus est DEUS: sed cum DEUS Non esse non possit DEUS, Qui possit esse non pius, Aut ad pias surdus preces?	Divina ab humanis amat Confabulationibus Abesse consolatio; A vanitate veritas.
Precare, CHRISTUS ut sua Tua vota firmet gratia: Tum, si quid à DEO boni Optaris, optatum feres.	Subesse discere; & sensum Vagas domare imagines: Cor ad precandum senties Omni paratum tempore.
Potieris optatis statim, Optare quando desines: Nescis, quod ardentem petis, An velle te velit DEUS.	Patiens, modestus, subditus, Reverens DEI, spector sui, Ad supplicandum Numini Se liberè supervolat.
Cœpisse, rem gratam sibi, Donavit adjutor DEUS; Contende votis, & prece, Ut addat & constantiam.	8. Tuum DEUS differt bonum, Ut augeat: mentes suo Impensè amoris deditas Felice successu beat.
Amore si veri cales Bonique, desidiam fuge. Ora, & labora: odit DEUS, Non audit ignavas preces.	Precare constans; obvias Animo repelle imagines: Animo, quod instabili negat, Constantiæ dabit DEUS.
Quæ vota neglectim facis, Perire ne mirum putes. Oras, nec oras? has DEUS Audit, nec exaudit preces.	Si quidpiam longâ prece DEUM rogâris; nec tamen Id impetrâris; hunc dare Plus velle crede, quàm petis.
7. Mentem rotatam inanium Opinionum turbine, Curisve cinctam sæculi, Ne spera ad astra tollere.	Devotionis ut tuæ Aurum probet constantia, Tua vota quamvis audiat, Audire dissimulat DEUS.
Negotiorum longior Catena sæcularium Rumpatur, atque inanium Distractionum vincula.	Constante numquam pectore Funduntur incassum preces: Cujus nec herbam fert hiems, Æstate messem colliges.

Oratio-

Orationis nucleum
Si durior cortex tegit,
Perfringe: pungat initium,
Modò cor perungat exitus.

Optata donec impetres,
Ora, & perora: supplicis
Castigat inconstantiam
Dilata liberalitas.

Vt surgat æger lectulo,
Prece impetrasti? iterum preces,
Iterumque funde, plenior
Vt detur illi sanitas.

9. Si roris expers gratiæ
Mens âret, aras Cælitum
Votis frequenta; ab his opem
Stipemque egenus collige.

Devotionis pristinæ
Subitum rigorem fer lubens:
Gelu resolvet pectoris
Præsentis aura gratiæ.

Obducta menti nubila
Lux dissipabit spiritus,
Et, aridas licet, DEUM
Audisse, spes dicet preces.

Amore si ferves DEI,
Erumpet inter lacrymas,
Ignesque votorum, abditæ
Vox indicina gaudii.

Vbi illa sacri Flaminis
Vis rasit aures altius,
Et pertigit penetrabilia;
Te lustrat, & totum novat.

Cor inter assiduas preces
Flammis inardescet novis;
Haud intepescet, talibus
Quæ mens calebit ignibus.

Vbi gratiæ vis mitior
Sensus pererrabit tuos,
Mens icæta terras deseret,
Cæloque semet inferet.

Divini Amoris spiculum
Tuas salubri vulnere
Vbi fauciverit fibras,
Ciebit ex oculis aquas.

10. Affectui licet pio,
Ne crede nimium; nil boni
Sic hæret animo, quod morâ
Non obsolescat temporis.

Veri figurâ ludimur:
Ne crede fronti, nec genis
Humentibus: quæ mentis est
Devotio, in fundo latet.

Nil, nata flere, femina
Dat promptius, quam lacrymas:
Si sanctitatis indices,
Quot orbis hic sanctas habet!

Multæ in dolum & mendacium
Didicere flere feminæ:
Sed odit, & mendacii
Fallacias plectit DEUS.

Lacrymæ fluant; sed ad DEUM:
Diversione simplici,
Crebras, tenellas supprime,
Sedentur, ut placide fluant.

S

Quæ

Quæ grandia intus & foris
Tibi dona Numen contulit,
Tua illa non sunt, sunt DEI.
Illis abuti, est heu! tuum.

Sectare modica; quæ nimis
Fulgent, verè: inutile est,
Quidquid redundat: tu modum
Tene, vel ex Sapientiâ.

Fuge magna; prudens elige
Gaudere parvo: aquâ brevi
Ibit carina tutior;
Peribit inter vortices.

Quod nemo, vel rarus facit,
Mirantur omnes: vanitas
Adfectat, & jactat nova,
Extrema, singularia.

Nil singulare præferas
Velut negatum ceteris;
Sed plurimum stude tuum
Aptare captum captui.

Abconde munus Numinis.
De rebus internis juvat
Tacere: cum multis loqui,
Sentire cum paucis decet.

Te munere arcano DEUS
Ditavit? arcanum tege,
Interna dona proderet
Qui gaudet, audet perdere.

Vives latendo ditior;
Crescunt opes silentio;
Servabit ovum tutius,
Tacere si possit, parens.

Res est minor, feliciter
Fecisse magna; quàm bonum,
Quod laude dignum feceris,
Patere velle nemini.

Sors læta, visa nemini,
Te nemini invisum facit:
Latere quod potuit bonum,
Elusit invidiæ malum.

Latere, nesciri quæ ama;
Magni quæ famam nominis,
Virtutis ut labem, fuge:
Qui non videtur, se videt.

Ignotus arcet invidum.
Ama latere: senties
Huic invidere neminem,
Quem vulgus æstimat nihil.

Celata virtus, in sinu
Servata conscientiæ,
Solum unicum quæ respicit
Testem, atque judicem DEUM.

Accepta cælo munera,
Raræ quæ dotes gratiæ
Abconde, donec qui dedit,
Hæc, te tegente, publicet.

Diffide lætis: est levis
Fallax quæ prosperitas; bona
Accepta prodit; quæ decet
Celare dona, publicat.

Effusa stringe gaudia:
In corde conclusas opes
Aperire lætitia solet,
Et aperiendo perdere.

Accepta

Accepta cælo munera
Datoris abscondat metus:
A plebis imæ plausibus
Dolosa pendet lacryma.

Quæ dona profunt nemini,
Nec vera cense, nec bona:
Placere vanitas amat;
Prodesse mavult veritas.

Periculosum est credere:
Periculosum haud credere.
Cassandra & Hippolytus suis
Te vivere exemplis docent.

Lamenta, raptus, extases,
Fusæque palàm lacrymæ,
Suspecta sunt: gratia,
Nisi alteri ut profit, latet.

Ne fide tinctis optimo
Colore visionibus:
Memor, quot, & quanti suo
Periere lusi spiritu.

Ne terrearis omnibus
Insomniorum ludicris.
Quæ vanitas, inanibus
Inaniter fidem dare!

Ne lætiora te efferant
Seu visa noctu, seu diu:
Hos curiosioribus
Laqueos parat stygius draco.

Ne curiosioribus
Imagines oculis vide:
Vitæ sed exemplo æmuli
Cordis medullas imbue.

12. Precibus vacare te juvet:
Vult ire qui te perditum,
Orationis vim timet,
Et odit assuetudinem.

Fremat orcus, & tuas suis
Disturbet ignibus preces:
Tu, voce cordis igneâ,
Dic, VIVE IESU, & nil time.

13. Surgente quamprimum malo,
Inaniter ne plurimum
Aures querelis obside;
Soli DEO dic, & file.

Adflactus, ora: protinus
Omnem doloris & crucis!
Acerbitatem suavitas
Orationis leniet.

Medela prima, imò unica
Mœroris est oratio:
Nil experitur mens, piâ
Precatione, lætius.

Cælestis iræ certa sunt
Placamina, ignitæ preces.
Mentis pavore supplicis,
Vult Numen offensum coli.

14. Quæ perdis ignavo otio,
Precibus statuta tempora,
Quanti æstimare debeas,
Vis scire? subripis DEO:

Orans, honores ut DEUM,
Te tutor Ales excitat;
Et CHRISTUS ipse ad ostium
Pulsat: nec expergisceris?

Laudes DEO canit Angelus,
Et erubescit: tun' piger,
Expers pudoris ambulans,
Et vanitate diffusus?

Quâ luce, quâ licet, sacram
Rem negligis, hac te gaudio,
Te pace privas pectoris,
Te luce mentis exuis.

15. Moderata durant: tædium
Operæ parit, quod fit nimis.
Quæ pauca mentem nutriunt,
Cumulata lædunt fercula.

Precationum plurima
Qui lectione debile
Cerebrum gravant, post tædio
Victi inchoata deserunt.

Est ergò alenda pauculis
Exercitationibus,
Paucisque lectionibus,
Quæ mentis est oratio.

Lectio sacra.

1. **C**onsulta quisquis hæc legis,
Ne, ceu vetusta, despice:
Sunt multa, si non omnia,
Novè repexa, vel nova.

Seu cuncta displicent nova,
Nova sola seu placent tibi;
Tu te esse stultus invidum,
Vel invidus stultum probas.

Hæc sensa de veteri situ
Sunt hausta priscorum Patrum,
Et digna condiri novè,
Vt mente condantur nova.

Quod imperitus verterit
Vicio, peritus gloriæ;
Antiquitatis hæc nova
Ditat penus tetrasticha.

2. Præscripta Sanctorum lege;
Antiqua discas, & nova:
Hoc fonte ut omnes hauriant,
Totas opes nemo eruet.

Veterum Patrum sententiis
Plenissimam debes fidem:
Fuere sapientissimi,
Et, quod caput, sanctissimi.

Falli nequit sapientia;
Nec sanctitas vult fallere:
Haurere mente spiritum;
Scripsere quod mens hauserat.

Scripsere docti lumine,
Quod nescit artis vincula:
Dixere, quæ dabat loqui,
Vis inlatentis spiritus.

Æqui revulsis & boni
Repagulis, se regulæ,
Legique priscorum patrum,
Subducit error pertinax.

3. Haud scire cura, sed sequi,
Quæ gesta sanctorum legis.
Hinc, quod sapit, nectar bibe,
Iussâ valere paginâ.

Vt

Vt sancta cum fructu legas,
Abfit sciendi fervida
Cupido ; sit sedata mens ;
Quæ legeris bona , hæc velis.

Vix verba sacra, quæ legis,
Nisi diligas, intelliges :
Imitationis at labor,
An illa diligas, probet.

Audita sanctorum Patrum
Præcepta, fac ut sint tua:
Quod illa commendant opus
Vbi feceris , tua feceris.

Exempla Sanctorum vide;
Et quæ licet, quod assequi
Paucis datur, sequi stude.
Studuisse, fecisse est satis.

Vni DEO hæc felicitas
Tributa, posse quod velit :
Id velle, quod nôris bonum,
Possisque cum DEO, sat est.

Quod nunc habes, habe satis.
Meliora quando se offerent,
Ne sperne dona Numinis;
Sed hæc quietus accipe.

Fieri, satis sit, quod potest;
Benè quod nequit fieri, nega :
Haud æqua quisquis postulat,
Sibi vota denegat sua.

4. Tam densa sensu carmina
Quis absque clave intelligat ?
Non pauca multis qui sapit,
Sed multa paucis exprimit.

Fac, ut potes, quæ intelligis;
Intelliges, quæ non facis.
Hæc una clavis est, opus;
Intelligentiæ scopus.

Amœnitatis mater est
Molestia ; & pretiosior
Hic sensus est qui quaritur,
Inventus ut placeat magis.

Vt, quod bonum nescis, scias,
Opem DEUS dignam feret ;
Vbi quod bonum scis, feceris.
Fac nota, disces abdita.

5. Divinior Theologia
Salutis est scientia,
Doctrina, CHRISTI gratiæ
Vitaque verba continens.

Vis esse dives ? nil tibi
Sacris prius sit Litteris.
Has qui tenent, verè suas,
Et unicas habent opes.

Quo sacra sunt volumina
Dictata spiritu, hoc lege.
Quis ille ? caritatis est,
Et humilitatis spiritus.

Quisquis suorum sensum
Obtemperabit legibus;
Volvat, legat, quantum lubet,
Divina ; non intelliget.

Quicumque mundi legibus,
Et moribus morem gerit;
Volvat, legat quantum volet
Divina ; non intelliget.

E merce quisquis rem volet
Terrâ marique quærere ;
Volvat, legat quantum volet
Sacra scripta ; non intelliget.

Scientiæ famam sibi
Parare quisquis ambiat ;
Volvat, legat quantum volet
Sacra scripta ; non intelliget.

Oceanus est codex facer:
Agnellus hoc tranat mare,
Elephantas involvit salum,
Patent profunda parvulis.

Sacris arata paginis
Oracula, & voces DEI
Meditare, versa, amplectere,
Exosculare, suspice.

6. Vbi cor legentis cælitus
Mœrore sancto tangitur,
Claufo iuvabit codice
Hunc mentis ardorem sequi.

Vbi excitati spiritus
Deferbuit devotio;
Lectum volumen in manus
Resume, donec ardeas.

Perpende crebrò, quæ fuit
Prioris ævi sanctitas;
Aut quanta CHRISTUS, ut tuam
Noxam piaret, pertulit.

Meditare, cum menti placent,
Quæ CHRISTUS egit, aut tulit:
Nisi lecta cor plus afficit,
Vita antea cælitum.

Quid veritatem in Ethnicis
Vitamque libris quæritas?
Alit, docetque certius
Via, vita, CHRISTUS, veritas.

Tibi verba CHRISTI sint cibus,
Potus, quies, jucunditas,
Vnguenta, fontes, hortuli,
Amœnitas, vita, & salus.

Tibi vita CHRISTI sit quies;
Sint verba potus & cibus:
Exempla virtutum, hortuli,
Fontes, amœnitas, salus.

Sunt dulce solitudinis
Libelluli solatium:
Hos inter elige, & lege
Libellulorum Principem.

Pervolve scriptorum libros,
Et æstima, quorum libro
Inscripta vitæ nomina
S inchoantur littera.

Quis hoc, vel illud dixerit,
Referre ne magni putes:
Hoc diligenter inspice,
Quid hic vel ille dixerit.

Laudanda lauda: Numini
Quæ non probantur, despice:
Sectare prudens, quæ sacris
Exempla laudantur libris.

7. Vt lectionis optimæ
Provexit ardor plurimos;
Sic lectionis omissio
Putrescere ingenium facit.

Lege

Lege pauca plenis sensibus,
Iterumque lecta rumina:
Libri secundi lectio
Prioris est oblivio.

Varia, tumultuaria,
Vaga, curiosa lectio
Vires fatigat sensuum,
Acieque mentis dividit.

Pectus beabit æmulum
Parata librorum seges,
Vbi mentis impiger labor
Numerum legendo vicerit.

Dum dicta prudentum legis,
Versuque lecta dum ligas,
Lecta, & ligata dum facis,
Facis legenda posteris.

Qui mille versas carmina,
Versosque versus carminas;
Quando id potes, rogo ut velis
Hæc carminare carmina.

8. Cognata cælo pectora
Sine labe constanter gere:
Vt hoc agas, cordis cape
Oculis & auribus DEUM.

Voluit vetus sibi erui
Philosophus oculos, libera
Vt mente plura cerneret,
Vitiisque clauderet viam.

Optes carere, si sapias,
Oculis vtrisque & auribus;
Vt mente conspicias DEUM,
Et aure cordis audias.

Vtrisque lucis orbibus
Homerus orbis, Palladis
Facem, & lucernam vatibus,
Pictoribusque prætulit.

Si de te, Homere, fabula
Quæ fertur, haud est fabula;
Vidisse te qualem negat,
Tua Ilias lucem videt.

9. Vt mente concepias DEUM,
Vt cæcus esto, nil videns:
Vt surdus, & nil audiens:
Vt mutus, eloquens nihil.

Silentio ut discas loqui,
Vide, videns nihil, omnia;
Audi, audiens nihil, omnia;
Scias, sciens nihil, omnia.

Sit qualis, aut quantus DEUS,
Se scire quisquis jactitat,
Sapiens apud se desipit,
Nec mentis est compos bonæ.

Hoc scire, quod per te es nihil,
Quod à DEO, & propter DEUM
Es quidquid es; primum puta
Veræ caput scientiæ.

Non qualis es tu, sed quod est,
Id esse cogita DEUM,
Immobilem, immutabilem,
Semper parem, & similem sibi.

Hoc inveniri amat DEUS,
Quod te minus quæris loco:
DEUM invenire cum voles,
Hunc quære, quo non es loco.

Animi

Animi in supremo vertice
Sedet, agit occultus DEUS:
Hic regnat; hic referat tuis
Arcana sensa sensibus.

In te, quod ipse non capis,
Cessante te, facit DEUS:
Et sæpe quò sentis minùs,
Hòc ille plus, meliusque agit.

Contende te virtutibus
Ornare, sacrum adytum DEO;
Ut ipse sedem pectoris
In arce collocet tui.

Amantibus, sitientibus,
Petentibus, sui DEUS
Facit benignus copiam:
Se donat omni supplici.

Beatus ille ter, quater,
Quem veritas per se docet,
Non per figuras exteras,
Aut verba transeuntia.

DEUS, modo obscuro licet,
Tibi que nondum cognito,
Cordi tuo se strictius
Communicat, quam tu DEO.

Est unus, & simplex DEUS;
Corde invenitur simplici,
Est lumen, est amor DEUS;
Amoris oculo cernitur.

IESUS cor, & Rex cordium,
Amoris oculo, cor tuum
Ubique semper inspicit;
Cor tale, corde non vides.

Si Numinis purum jubar,
Ipsumque fontem luminis
Vis intueri; pulverem
Tenebrasque mentis ex cute.

Absente Sole, obscurior
Est aura: sic mens, gratiæ
Absente luce, vix foris
Videnda, vix intus, videt.

Quid mente volvas, quid velis,
Nolisse, discernas licet;
At pectoris fundum tui,
Apicemque mentis haud vides.

Culpam parentum cæcus es,
Capitalis heres criminis:
Fac lucis, ut videas, opus;
Oculis abibit cæcitas.

Dic, me mei ignorantia,
Deique cæcat; me gelu
Socordiae; mea me arguit,
Iugi igne digna, ignavia.

Rebus frequenter exteris
Renuntians, in te redi:
Mox pacis in centro sacrae
Externa cernes omnia.

In mentis arce quò magis
Vnitus & simplex eris:
Hòc plura, dono spiritus,
Et altiora intelliges.

10. Res magna Mens est; res loco
Ingens in angusto sita:
Hæc pura præsentis DEI
Imaginem in speculo videt.

Quid

Quid animus est? paucis habe:
Res clausa parvo maxima,
Quæ nuda lucem Numinis
Caliginosam in se videt.

Externa cur spectas homo,
Formasque laudas corporum?
An non, quod interioribus
Caret animus spectaculis?

Nisi mens careret intimo
Sui & DEI spectaculo,
Abire nesciret foras
Ad corporum spectacula.

Mens occupata mentium
Cælestium spectaculo,
Nullis movetur corporum
Terrestrium spectaculis.

Mens pura lucem Numinis
In se velut speculo videt:
Quæ noctuis lux officit,
Oculum capacem recreat.

Memoria plena Numine,
Mens veritate fulgida,
Cor caritate fervidum,
Faciem repræsentant DEI.

Vis intimi memor boni,
Mentis quietæ claritas,
Et cordis ardor ignei,
Speculantur & sapiunt DEUM.

Veri bonique cum decus,
Speciemque cernes auream,
Læto micabit in sinu
Speculum futuræ gloriæ.

Quam cæcus ille est, ô DEUS,
Qui non tuis in operibus
Pulchram tui speciem videt,
Super opus omne amabilem!

Turba. Solitudo.

1. **V**T mentis in silentio
Æterna contemples, tibi
Te vindica, & tumultibus
Negotiorum subtrahe.

Adfuesce solitudini;
Silentio Numen cole;
Turbâ procul, domi sedes
Sedata mens, sedes DEI.

Quæ pulchra vulgus æstimat,
Oculis & auribus nega.
Tecum mane: serva domi;
Sat ampla, quæ grata est domus.

Te quando dura non rapit
Negotiorum vis foras,
Mane domi: excursus frequens
Est mentis indicium vagæ.

Silentii tranquillitas
Ad alta mentem provocat:
Sed hanc tumultus præpedit,
Ne se sibi ipsa vindicet.

Vis mentis est divinior,
Cum per fenestras sensuum
Haud evagatur: hanc alit
Nox, solitudo, silentium.

T

Fuere

Fuere tellus, sidera
 Antonii magni liber:
 Hac mole, & illo pondere,
 Non edo, non edes libros.

Silentium, & latebras ama:
 Nemorum inter unus avia,
 Mapale molire; ut DEO,
 Secretus à turbis, vaces.

Et puritatis, & DEI
 Amore desertum pete;
 Solisq̄ue clausus in locis,
 Fuge vana mundi gaudia.

Sunt densa saltibus loca,
 Ambagibusq̄ue devia,
 Mundi remota motibus,
 Iucunda sitienti DEUM.

2. Te mente vulgo, non pede,
 Sed mente forti subtrahe.
 Homo solus, Angelus, aut pecus:
 Beatus, aut prorsus miser.

Tibi quidem ampla civitas
 Est solitudo: sed locis
 Si solus in solis lates,
 Oportet ut sis lex tibi.

Cibo refectis viribus
 Cellæ latebras defuge:
 Meridiani dæmonis
 Hic occuluntur machinæ.

Arcana solitudinis
 Sumptis recens dapibus, fuge:
 Hæc nondum adulto tempore
 Parum pudori congruunt.

3. Hominis latentis (qui prece
 Placare continuâ studet,
 Remotus à turbis, DEUM)
 Non est opella inutilis.

Non est inertis otium,
 DEO vacare: est arduo
 Dignum labore negotium,
 Negotiorum maximum.

Mens plena cordis & DEI,
 Solertiæ nec indiga,
 Plus una sæpè profuit,
 Quàm mille militum phalanx.

Vt cor ad omne liberum
 Serves opus, gratum licet;
 Pii recessus otium
 Abrampe, cùm pietas jubet.

Si turba te solum facit,
 Minorq̄ue de turbâ redis;
 Vbi solus es, non solus es:
 Vbi solus haud es, solus es.

Te si docet modestia
 Latère, prudenter lates:
 At si latère te patet,
 Stultè, vel incassum lates.

Vrbs ferreum dat sæculum;
 Fert sæculum rus aureum:
 In urbe factus ferreus,
 Iam rure fias aureus.

4. Arcana vis silentii
 In abditum vulgo locum
 Mentem mihi rapuit meam,
 Vbi verba defunt, & modus.

Hic

Illic potestas abdita
Divinioris Numinis
Repentè me circumdedit,
Quam nescit admiratio.

Errando nimirum meus
Eò volarat spiritus,
Quò nulla cogitatio,
Quò nulla mens pertingeret.

Nam fulgor ille mysticus
Vim sensuum prætervolat:
Hinc ergò mentis arceo,
Et ingenii satagentiam.

Te, quæso, sic in liberi
Immerge fundum spiritûs;
Negotiosoque otio
Da temporis vel horulam.

Hic incretam certiùs,
Caliginosi luminis
Obscura per vestigia,
Cernes beatitudinem.

Quin à nihil cor abstrahe;
Et illud offendes nihil,
Quod, lingua quamvis nesciat,
Sui relinquit symbola.

Hoc illa sola mens capit,
Quæ cum voluptatum dolis
Privata lucra negligit,
Et singulare commodum.

5. Æternus æternum Pater
Gignit quietus Filium:
Vterque producit pari
Parem quiete Spiritum.

Agit quiescendo DEUS;
Agens quiescit: hic idem
Loquitur silens; filet loquens,
Suique te vult æmulum.

Tu verba non solùm DEI
Opusque; sed silentium
Quoque & quietem, quâ potes
Veneratione, suspice.

Quiescit, & filet DEUS:
Tui quies silentii
DEI quietem æqualiter
Honoret & silentium.

In luce pax, in pace lux,
Et caritatis veritas:
In pace lux, in luce pax,
Et veritatis caritas.

In luce mentis est quies,
Lux in quiete mentis est:
In veritate caritas,
In caritate veritas.

Sequere DEUM.

1. **T**E subde legi Numinis,
Teq; unus uni mancipa.
Ni feceris; mens inquires
Te prodet, & querulus dolor.

Vis cogitare, dicere,
Etiam patrare grandia?
Pare DEO: grande est opus
Parère; nullum grandius.

T 2

Mun-

Mundana, providentiæ
 Currum sequuntur. Rex DEUS
 In hoc triumphat: te juvet
 Regem triumphantem sequi.

Hæc fume, quæ dederit DEUS,
 His quæ negarit, abstine.
 Tun' de DEO audeas queri?
 Iram time, quam provocas.

Tranquillus ut sapias, DEI
 Notæ voluntati tuam
 Adjunge: cæli calculo
 Laudata, ne damnes tuo.

Hoc cogita; abs te quid DEUS,
 Quid tu requiras à DEO:
 Qualem velis DEUM tibi,
 Qualemque te velit DEUS.

Fieri quod abs te vult DEUS,
 Fieri que quo abs te vult modo,
 Et illud ipsum, & sic, age:
 DEI que gaude gaudium.

Id esse rectum judica,
 Quod judicat rectum DEUS:
 Id esse credas optimum,
 Quod optimo placet DEO.

Non est satis, quod vult DEUS,
 Id velle: restat, ut DEI
 Amore nil propriè velis,
 Quod non DEUS per te velit.

Est, Christiane, opus tuum,
 Vnumque munus; quæ DEI
 Deposcit abs te jussio,
 Hæc cogitare, agere, & loqui.

Hanc unus unam rem gere,
 Ut gratiæ morem geras;
 Totâque mente rumines
 Quæ fecit, & docuit DEUS.

In omnibus specta DEUM,
 DEI que honorem, non tuum;
 DEI que velle, non tuum;
 Te semper, ut nihilum, vide.

Vt quod DEUS vult, id velis,
 Dedisce velle quod soles:
 Amoris expers proprii,
 Divinioris est capax.

Est recta justî semita:
 Sapiientis, & viri boni
 Hæc meta, finis, & scopus;
 Fiat voluntas ut DEI.

Nisi ad voluntatis bonæ
 Quadret voluntas regulam,
 Bona esse nequaquam potest.
 Hæc regula est: *Quod vult DEUS.*

Acceptius cælo nihil,
 Nil gloriosius DEO,
 Homini nihil salubrius,
 Quàm velle quidquid vult DEUS.

Te quidquid à DEO abstrahit,
 DEO repugnat: quidquid est
 Quod ad bonum propius trahit,
 DEI voluntatem puta.

DEI voluntatem ut tuam
 Ama, libensque perface.
 Tuam voluntatem ut suam
 Amabit, & faciet DEUS.

Est

Est dives ille, qui sui
Animi magister, qui spei
Metusque liber, nil, DEO
Quod non sit acceptum, cupit.

Est magna res, pro Numinis
Pugnare cultu: at illius
Notæ voluntati arctius
Hærerere, majus est opus.

Ostendit ad se tot DEUS,
Aperitque pulsanti vias;
Tamquam nihil, præter tuæ
Animæ salutem, cogitet.

Te dede vel cæcum DEO;
Remitte quod captum fugit:
Rationis hæc remissio,
Amoris est intensio.

Placide velis, quod vult DEUS:
Quò ducit, ito: ni facis,
Te vel reluctantem trahet,
Suoque submittet jugo.

Quod velle noveris DEUM;
Si non voles, fac quod voles;
Facies volendo quod voles,
Nihil minus, quam quod voles.

Pugnare cessa Numini;
Tentasse profuit nihil;
Traxit volentem te DEUS,
Aliò trahentem distrahet.

Vbi ad DEUM, propter DEUM,
Tua dicta facta flexeris,
Constans tibi custos erit,
Dux & comes Sapientia.

Mens & manus quondam mea,
Nunc te vocanti Numini
Pare, & vocanti da manum;
Hunc lauda, adora, suspice.

Oculique vos olim mei
Subeste nunc tandem DEO,
Lacrymæ fluentum fundite,
Sordes quod antiquas lavet.

Vt mentis observes statum,
Quæ cogitas, dicis, facis,
DEO vidente, & hæc velut
Iubente, fac, dic, cogita.

In omnibus quæ cogitas,
Loqueris, facis, rectâ viâ
Te ducat aurea Veritas,
Auriga Caritas vehat.

Opus bonum, quod Numinis
Succensus igne perficis,
In cordis arcano sinu
Suo opifici regnum parat.

Vt adjuveris cælitus,
Tibi crede præsentem DEUM;
Te siste præsentem DEO:
Quærit DEUS, quos impleat.

Cùm magna se res pro DEI
Offert agenda gloria,
Hanc mentis altæ masculâ
Devotione suscipe.

DEI scientis omnia
Amore quod puro facis
Id gaudio faceres pari,
Nescire, quod scires DEUM.

Est Christiani muneris
Pars prima, si non unica,
Studium animæ, & curatio,
Ut grata vivat Numini.

Quando fatêris à DEO
Habere te, tuos, tua ;
Quo jure te, tuos, tua
DEUS reposcat, cogita.

Da, quod putas gratum, DEO ;
Tibi grata donabit DEUS:
Fac sedulus, quæ sunt DEI,
Facies DEUS, quæ sunt tua.

Fac, quod DEO placet, bonum ;
Tibi quod placet, faciet DEUS:
Hostem doma: intus noxium ;
Sternet DEUS, qui sunt foris.

Quidquid tuum dederis DEO,
DEI est, priusquam sumpserit:
Fur es tuorum (debitum
Mirum) DEO ni des tua.

2. Tria sunt columbæ symbola:
Totum columbo, nil mihi:
Hoc plus do, quod plus tollitur:
Quâ voce lætor, ejulo.

Genium columbæ ut induas,
Nihil tibi, totum DEO:
Quod subtrahet plus, plus dabis;
Sit luctus instar gaudii.

3. Totum tibi se dat DEUS:
Huic liberè te, & integrè,
Permitte, ut ipse in pectore
Quiescat, & regnet tuo.

Sic te DEO da, consecra,
Ut ille se dedit prior:
Nihil reserves, quo tui
Spes augeatur commodi.

DEI verenda puritas,
Impura dona respuit:
Tu tale da munus DEO,
Quod possit & pauper dare.

Præbe DEO cor: nil DEO
Est corde gratius tuo:
Dat largiter, qui dat DEO
Donare quod pauper queat.

Nihil beato Numini
Est mente purâ acceptius:
Hanc præter, offer quodlibet,
Nihil DEO dignum dabis.

4. Si cum potes DEO frui,
Id negligis; palam facis,
Quanto sit in pretio tibi
Doni & datoris dignitas.

Animo vide, quàm sit tua
Ingrata pravaque indoles,
Divina qui tot munera
Oblivione transvolas.

Cum stultus aurum respuit,
Te corripit, cui unio
Offertur: & largam manum,
Ceu mente captus, abjicis?

Amot

Amot

Amor sui. Amor DEI.

I. **D**EO ut propinques, te fuge.
Eatenus poteris DEUM
Sequi vocantem, quatenus
A te prius recesseris.

Placere quâ volest tibi,
Placere non speres DEO.
Hoc esse crede, & amplius
Discrimen inter te, & DEUM.

Cum dulci amarum respuit
Habitarè: amor vanus tui
Haud speret unâ cum DEI
Amore vero degere.

Vicina cum mendacio
Fugit morari veritas.
Quò majus est pretium tui,
Hòc fit DEI pretium minus.

Amor tui præter modum
Amore te exiit DEI.
Amore te DEI induet
Modi tenax odium tui.

Tibi mórere, ut vivas DEO:
Tibi antè toti mortuus,
Pòst veriùs vives DEO,
Quâm vixeras priùs tibi.

Cor rebus omnibus exue,
Nudumque transfer in DEUM:
Ejusque te sic nutui
Submitte, nil propriè ut velis.

In mente nudâ, proprii
Oblitâ amoris, vult DEUS
Regnare: te tecto eripe,
Ut hospitem excipias DEUM.

Nec mens quiescat, nec manus,
Amore donec in DEUM
Mutatus, à mente, & manu,
Totoque te defeceris.

2. Quem das amorem sanguini,
Parentibus, studiis, tibi,
Furaris, & rapis DEO,
Qui solus illo dignus est.

Agris, amicis, nummulis,
Sic vive nudus, ut duos
Mendicus asses flagitans,
Pati repulsam gaudeas.

Abs te impetra, quidquid foris
Tibi impetrare non licet:
Quâ re carere debeas,
Eâ carere etiam velis.

3. Fons omnis est boni DEUS;
Hoc fonte numquam sis satur:
Sitiit sitiri, amari amat;
Care libenter ceteris.

Est purus & simplex DEUS:
Ut talis evadas, tuum
Cor à caducis abstrahe,
Et junge proximè DEO.

Fluxis quod in rebus sapit,
Amore IESU despice:
Hæc una cui res unice
Placuit, Patris placitum sequi.
Orbem

Orbem DEI reputa nihil;
Totum esse crede orbis DEUM:
Cui solus est totum DEUS,
Huic totus orbis est nihil.

Toto te, & omnibus cares,
Carens DEO: te verò habes,
Omniaq; , quando habes DEUM,
Et quando haberis à DEO.

Momenta honesti & utilis,
Docet DEI: tuique amor:
Te quando amabis in DEO,
Minora nosces cetera.

Tibi quando dulcescit DEUS,
Amara fiunt cetera:
Huic sensus orbi clauditur,
Soli patet pectus DEO.

Diviniori munere
Iniecta menti lumina,
Missasque cordi flammulas,
Plus mille mundis æstima.

Qui corde, linguâ, vel manu,
CHRISTO relicto, aliquid cupis,
Petis, aut facis; das evidens
Inscitiæ specimen tuæ.

Nil vota cordis ignei
Placare sub cælo potest;
Huic nil placere, nil sitim
Satiare præter te, DEUS.

Non hoc vel illud elige,
Meritum quod augeat tuum,
Sed esse quod scis gratius,
Et gloriosius DEO.

Solam DEI opta gratiam,
Et gloriam: nil cetera
Morare: det, neget DEUS;
Tu nil recusa, nec pete.

Quando unicè solùm DEUM
Quæremus, hunc habebimus:
Et quando habebimus, unicè
Vbique quæremus DEUM.

Afflata mens DEO, DEI
Cor ventilatum flamine,
Vinclis solutum terreis,
Ad astra de terris vola.

4. Hic est beatæ terminus,
Est unicus vitæ scopus:
Cole Numen, & fratres ama,
DEUM timendo dilige.

Vt luce mentis fulgeas,
CHRISTUM vide, audi, cogita;
Quæ verba dixit; quæ tibi
Exempla virtutum dedit.

Si Christiani gloriam
Et nomen ambis nominis;
Et corde miti, & moribus,
CHRISTI cor & mores refer.

Si meta CHRISTUS est tua;
Scopus, placere: sit tibi
Fides sagitta, Spes tibi
Sit nervus, arcus Caritas.

5. Amor patebit; si est amor,
Obscurus esse non potest:
Est ignis; illum si premas,
Erumpet hoc vehementius.

Amore

Amore cor captum DEI
Fugit oriri : agitur, agit:
Augetur, auget : tam nequit
Cessare, quàm non esse, amor.

Tuos triumphanti in cruce
Amori amores immola:
Cor dulci Iesu pectori,
Pectusque cordi consecra.

Hic magnus, & ter maximus,
Æqualitatem qui facit
Ima inter & summa, est amor:
Divinus est, si non DEUS.

Non cogitari plurimum,
Sed plus amari amat DEUS.
Male cogitas, quem non amas:
Benè cogitare amas? ama.

Carnis cupido quem ciet,
Non est amor; vesania est:
Sed Christiana caritas,
Pietasque, verus est amor.

Cave plus Amoris conditis,
Quàm Conditori impendere;
Plus aurum, & auram gloriae
Amare, quàm verum bonum.

Cæleste donum caritas,
Amoris est perfectio:
Sine caritate nil amor
Habere perfectum potest.

Amare te dicis DEUM
Propter DEUM, super omnia:
At cogita quid plus ames,
Cælum DEI, an cæli DEUM.

In caritate qui manet,
Manet in DEO: at numquã DEUS
Potest perire: ergò nec potes
Homo perire, amans DEUM.

Cæli DEUM, & cælum DEI,
Amare prudenter licet:
Tantum cave, ne præferas
Cælum DEI, cæli DEO.

Amore, quo te amat DEUS,
Amari amat; tali DEUM
Amore ama, ut nil in te ames,
Nisi in DEO, & propter DEUM.

Mundum triumphas, & modos:
Ut plena sit victoria,
Temet triumphas, amans DEI
Amore, qui nescit modum.

Cælestis in terris Amor
Cur ore glabro pingitur?
Vult cum pusillis crescere
Imago pusionibus.

Ama unicum verum bonum,
Bonum quod omne continet:
Nequit carere partibus,
Quicumque totum possidet.

Cùm te DEUS dilexerit,
Habebis hospitem DEUM,
Ut diligaris, hunc prius
Te diligentem dilige.

Si sempiternæ flammulis
Calesceremus patriæ,
Hæc membra pulchrè ab aëris
Defenderemus frigore.

V Amore

ore

Amore tanto ama DEUM,
Amore quanto ut nescias:
Nam si scias quanto hunc ames
Amore, non amas satis.

Amabitur plus à DEO,
Qui plus amaverit DEUM.
Quem plus amaverit DEUS,
Evadet ille sanctior.

Qui plus amat, plus gratiæ
Meretur, & plus gloriæ:
Merces amori redditur;
Minora sordent munera.

Se diligi jubet DEUS;
Et rem jubet sanctissimam:
Sancta omnis est virtus; DEI
Amore nil est sanctius.

Quod abs te amari vult DEUS,
Rem postulat justissimam:
Quid æquius, quàm cor Deo,
Cordis datori, reddere?

Quod abs te amari vult DEUS,
Opus exigit suavissimum:
Cor in DEUM transfert amor,
Est omnis vnde suavitas.

Humilem DEI servum decet
Amare sanctitudinem,
Opta esse sanctus: quod magis
Agis istud, hoc es sanctior.

Sanctum quod in te nil vides,
Hinc esse sanctus incipe;
Sanctus futurus, unice
Cum sanctus esse optaveris.

Quid agere debeas minùs,
Quàm sanctitatem in tempore
Optare, quæ secum ferat
Felicis ævi gloriam?

Amare quod probat DEUS,
Quod amat probare, est sanctitas.
Vis sanctus esse? ama, proba
Probata, amata Numini.

Nil indicat superbiæ
Cupido sanctitudinis:
Opta esse sanctus admodum,
Omniq; sancto sanctior.

Modestiæ nil officit
Cupido sanctitudinis:
Hæc summus est amor DEI;
At dignus immenso DEUS.

Qui sanctus est, summo DEUM
Amore honorat, & colit.
Tu sic amabis: nec DEI
Æquabis amplitudinem.

Amore & obsequio Angelos
Quod æmuleris, ne time
Speciem superbi; te Patrem
Iubet imitari Filius.

6. Sancti PHILIPPI NERII
Familia, voti legibus
Nullis ligatur; sed bonis
Stat erudita moribus.

Divini amoris nexibus
Devincta Congregatio,
Hoc ipso amoris fomite
Accensa, durabit diu.

Ne

Ne nomen Oratorio
Pudeat dedisse, fervidis
Precibus frequenter, & sacri
Verbi ministerio vaca.

7. Rex unus est cordis DEUS;
Hanc solus aulam possidet;
Hic solus unus imperat,
Nulli secundus æmulo.

Hoc quisquis optas in tuo
Firmare regnum pectore,
Abjunge quæ possunt suâ
De sede Regem pellere.

Abjunge nata liberum
Cor alligare sæculo;
Mundi soluta nexibus
Mens unæ adhæreat DEO.

At inter illa, sæculo
Quibus cor arcè jungitur,
Supernatat loquentiæ
Effusa prodigalitas.

Effutiendi quidlibet,
Quovis loco, licentia,
Frequenter occultis vagam
Mentem venenis inficit.

Hærerè nescit mens DEO
Perosa solitudinem,
Per fabularum ineptias
Sui DEIQVE prodiga.

In cor vagum non labitur
Cælestis humor gratiæ:
Ad vana pectus devium,
Est roris hujus nescium.

At cùm, remotis arbitris,
Clausâ latebis cellulâ,
Animi que liber, unice
Vni vacabis Numini.

Mentis quietæ verticem
Lux occupabit spiritus,
Quæ cordis in sinu sacri
Amoris incendet rogam.

Fovere qui voles sinu
Ardoris huius flammulas;
Adsuesce solitudini,
Audi DEUM silentio:

Nam frivolis si sueveris
Confabulationibus;
Securioris neutiquam
Frenabis oris impetum.

Fit lingua præceps, ni statim,
Et ante cursum, sistitur:
Nescit ruinæ proximum
Finem suæ, qui labitur;

Donec parum felicibus
Circumvolutionibus
Alliditur solo, prius
Quàm lapsi ponat modum.

At si quieti gaudia
Gustaveris silentii,
Silentium lubens coles.
Vtrimque tantum mos valet.



OLIVERII FLORENTII
VVATERLOOP,
POEMATVM SPIRITVALIVM
PARS TERTIA.

Vis Ordinis.

1. **R**Es unaquæq; plurium
Distinctione partium,
Nexuq; constat. Totius
Pars omnis, vnum conficit.

Sic plus in vno jungitur,
Et illa multitudinis,
Omnisque differentia
Iunctura gignit Ordinem.

Hæc una origo est Ordinis:
Ex unitate plurium
Exurgit ordo: ab ordine
Rerum fluit proportio.

Proportione partium,
Aptaque convenientia,
Totius elegantia
Et pulchritudo nascitur.

Sic pulchra militum manus,
Sic pulcher est exercitus,
Cum membra multiformia
In corpus unum confluunt:

Cum militum distinctio,
Distinctionis unio,
Series & ordo, exercitum
De plurimis unum facit.

Sic pulchra ridet musica,
Quæ per sonorum plurium
Discordium concordiam
Molli catenâ nequitur.

Ter-maximo Dionysio,
Summoque Thomâ testibus,
Pulchrum, bonumque, mutuo
Et congruunt & dissident.

Id esse pulchrum quod bonum,
Et esse quod pulchrum bonum,
Vterque monstrat, sed negat
Idem esse pulchrû quod bonum.

Pulchrum istud est, quod vis amet
Intelligendi agnoscere:
Proprie id bonum, quo perfrui
Amet voluntas agnito.

Poten-

Potentiã atque robori
Vbique præter ordinem:
Est ordo robur, & tui
Dux atque custos roboris.

Hic civitates, totaque
In pace regna continet,
Firmatque: sic exercitum
Bonus ordo victorem facit.

Est vnitas fons ordinis;
Ruina paritas, & caput
Confusionis: dilige
Vnita propter ordinem.

Cùm disciplinas optimus
Magister ordo pervias
Facilesque reddat; ordinem
In rebus & verbis ama.

Veri, bonique, & ordinis
Amore, Carmen æstima:
Pulchri esse studio licet;
Malè curioso non licet.

Veritas. Falsitas.

r. **F**Idiũ apud antiquos frequens,
Nulla est fiderum mentio:
Est multiplex hoc sæculo;
Fuit una prisorum fides.

Si veritatis, ut liquet,
Est falsitas corruptio,
Fuitque quod corrumpitur;
Fuit ante falsum veritas.

Si quò vetustas notior,
Hòc certior fit veritas;
Veram esse certò comprobat
Antiquitas Ecclesiam.

Veram esse Romanam probat
Antiquitas Ecclesiam:
Nam quò vetustas notior,
Hòc certior fit veritas.

Vtcumque sit mendacii
Cursus celer; tacito gradu
Hoc deprehendit, filia
Prioris ævi, veritas.

Mendacium quisquis docet,
Doctrina mox ejus perit:
Ejus perennat gloria,
Qui veritatem seminat.

Prudenter à mendacibus
Secerne veros vatibus:
Attende ne rabiem lupi
Ovina pellis contegat.

Non in tabernis, aut novis
Tenebrionum circulis
Antiqua, tuta, sobria
Addiscitur sapientia.

Te vera doctrina ad bonum,
Te falsa ducet ad malum:
Fons est bonorum veritas;
Radix malorum falsitas.

Ad recta sanctorum fides,
Ad curva ducit hæresis.
Fuge rebus in curvis malum;
Amplectere in rectis bonum.

Audi quid in te intus Pater
Loquatur, & Mater foris:
Hanc si vel illum negligas
Audire, es æternum miser.

Ecclesiæ vocem fugis?
Fugis salutem: qui negat
Audire matrem filius,
Perdit quod audit, & perit.

Quò curris ignarus viæ
Sudas, nec hilum proficis:
Via est Fides: extra viam
Inanis est cursûs labor.

Ab agnitâ vitæ viâ,
Fideque vita devium:
Nil obstinata amentia
Docebit, aut docebitur.

Opibus foris caret bonus,
Non intus: ingenio caret
Obediens; sanctus, Fide.
Te divitem, qui sic cares!

Beatus exul pro Fide
Tellure pulsus patriâ:
Beatiorem patriam
Servata monstrabit Fides.

Cunâctis acutè, & seriâ
Ratione discussis, nihil
Probabis esse verius,
Quâ quod probat CHRISTI Fides.

Examinatis omnibus,
Et ritè perpensis, nihil
Cordi esse dices dulcius,
Quàm velle quod dictat DEUS.

In orbe cuncta destruis,
Pietatis ædificas nihil:
Estne iste zelus, an scelus?
Estne iste fervor, an furor?

Est CERTA, quæ RECTA est Fides,
Mala procul ARCEB schismata:
Vt CRETA non est fictilis,
Sed artis ingenio CARET.

Huic larva mundi desipit,
Cui nuda veritas sapit:
Huic error omnis displicet,
Cui vera religio placet.

Fidem antepone literis.
Monstri instar ille fit tibi,
Qui cultus est à literis,
Incultus à rectâ Fide.

2. Miracla cessant: an DEI
Quòd facta sit brevis manus?
Nihil minus: potiùs tua
Quòd facta sit brevis Fides.

Miraculorum est maximum
Miraculum, miraculo
Nullo rebelles cultui
DEI atque amori reddere.

Quidquid velit, posse est DEI.
Vult optima: atqui est optimum,
Vt mira posse se probet:
Hinc mira vult, potest, patrat.

Miraculum sit maximum,
Si mira non patret DEUS.
Majora qui captu tuo
Non possit, is non est DEUS.

Anti-

Antiqua si certam novis
Fidem adstruunt miraculis,
Cur non & antiquis nova?
Fuit quod est; est quod fuit.

Tenebris vetustis obsita
Caput exere alma veritas;
Tenuesque magni luminis
Nos esse scintillas doce.

3. Quæ sensuum speculo vides,
Maxima videntur; parva sunt:
Quæ parvulos docet Fides,
Minima videntur; magna sunt.

Vinum potens, Rex præpotens,
Ter præpotens est femina:
Sed Veritas est his tribus
Iunctis simul potentior.

Humana fallunt: maxima
Parent procul; nil sunt propè:
Divina nil parent procul;
Propiora, sunt ter-maxima.

5. Mos tritus ævo, lumine
Si veritatis nititur,
Suadetque res factu bonas,
Auctoritatis jus habet.

4. Tegæ licet quod est bonum,
Id ne utiquam extinguï potest.
Vt ut prematur veritas
Ad tempus, emerget tamen.

Adultus error, sæculi
Pestis cavenda est. Tu fuge,
Servare morem, cui deest
Rationis aut boni color.

Quæ sita cum fuerit minùs,
Prodibit olim veritas:
Et quam tot umbræ texerant,
Hanc tempus in lucem trahet.

Mos veritatis expers,
Erroris est vetustas.
Prudens ama; relicto
Errore, veritatem.

Opiniones, & vagi
Figmenta vulgi, despice:
Quæ vera sunt, Deus suo
Profert in auras tempore.

Stat veritate mos vetus;
Lex æquitate nititur:
Est norma legis æquitas,
Columna moris veritas.

Suo feruntur omnia
Et colliguntur tempore:
Dies revelat quæ latent,
Et abdita in lucem trahit.

Egisse gaude, quod Fides,
Non moris error, adprobat.
Non quod libet, sed quod licet,
Decetque, fac, dic, cogita.

Humana adhuc Philosophia
Balbutit infans: luminis
Veri dat umbras; discutit
Has Christiana veritas.



Rex.

Rex. Nobilis. Civitas.

Verère, quisquis es potens:
 Potentia impotentiam,
 Libidinem licentia,
 Vitiisque suadet omnia.

I. **V**T promptitudo sensuum,
 Omnisque membrorum vigor,
 Et motus à capite fluit,
 A Rege sic regni salus.

Opera inter humana, optimum
 Et maximū, Imperium, est opus;
 Inter necessaria optimum,
 Interque honesta maximum.

Quamcumque legem sanxeris,
 Huic primus ipse obtempera:
 Male imperabit ceteris,
 Qui non prius didicit sibi.

Rex est imago Numinis,
 Illius ira fulmen est:
 Sed optimatum & civium
 Sermone crebro carpitur.

Si Regi in omnes omnia
 Licere vis; à legibus
 Si legis auctorem eximis,
 Abi, magister es malus.

Quod à DEO Imperium capis,
 Tibi datur ut bene imperes:
 Secus facis? sceptrum time
 Malè imperando perdere.

Abi, ista qui Regem doces;
 Qui discis, exitium time:
 Imò æquitati qui præes,
 Ad hanc tuo exemplo præi.

Regnare noli, subditis
 Si jura non placet dare:
 Regni statum, & pacem domus
 Servata servat æquitas.

Pœnas supra fidem graves
 Tyranne pendes legibus,
 Qui, quas iniquè sanxeras,
 Iniquius violas prior.

Provincias, urbes, domos
 Servata servat æquitas:
 Quæ regna non æquissimum
 Ius instruit, vis destruit.

Divina quisquis spreveris,
 DEUM verère vindicem:
 Seu magnus es, seu maximus,
 Pugnabis incausum DEO.

Quod est bonum, fac, & jube:
 Quod est malum, vita, & veta:
 Nisi antè vir fueris bonus,
 Bonus esse Princeps non potes;

Te nemini anteferas homo:
 Sublatus invidiam fuge,
 Mortis memor, quæ regibus
 Æquare gaudet remiges.

Medi-

Meditare iudicium DEI;
 Quod & profanos, & sacros
 Dum iudicabit Iudices,
 Numerabit innumeros reos.

Horre, tribunalis memor,
 Quod Cæsares, Reges, Duces,
 Et Principes ad se citat,
 Et, heu! reos inter locat.

Radix cupido criminum
 Abscondit æterna: ingerit
 Caduca: quæ fulgent foris
 Miratur; intus nil videt.

Regum, Ducum, seu Principum
 Nemo intumescat: sub DEO
 Omnes ad unum, & singuli
 Quotquot sumus, servi sumus.

Ne largiore nobiles
 Pulmone spuma spiritûs:
 Videbis inter cælites
 Sceptrum ligoni cedere.

Stant regna cuncta Numinis
 Caduntque Providentiâ:
 Hoc Christianis seriò
 Da pensitandum regibus.

En regna, quæ stabant, cadunt.
 Quid corda turgent? quid duces?
 Reges quid atavi? nunc cinis.
 Vetus memoria? oblivio.

2. Suprema Rex PHILIPPUS
 Vitæ trahens suspiria;
 Iam sentiens propinquo
 Gravata letho lumina,

His fertur allocutus
 Natum PHILIPPUM vocibus:
 Fili PHILIPPE, patris
 Regni que reliquum decus,

Prudenter & peritè
 Vitæ tenorem diriges,
 Si Numinis timore
 Humana spernas omnia;

Si funere eruditus,
 Verboque doctior meo,
 Sceptrum, decusque regni
 Bullæ instar habeas vitreæ.

3. Videaris ut vir, expetis
 Miserè timeri; at sic tuum
 Prodis metum: virum negat,
 Ferociæ pater, timor.

Hac disce normâ vivere,
 Timeas ut ipse neminem;
 Timendus ipse nemini,
 Et victor hostis, & tui.

Sancti Timoris immemor
 Si fidis arti, robori,
 Industriæ, auro, stemmati,
 Præceps levi flatu rues.

Opus est tyranni, prosequi
 Tyrannidis vestigia,
 Auferre opes, vitam, & boni
 Fœdare odorem nominis.

Opus est tyranni, mortuos
 Vorare, ridere exules,
 Verbi que magnificentiam
 Celare mendaces dolos.

X

Est

Est prima cura Numini,
Bonos tueri : hos à malis
Vexari & adfligi DEUS
Permittet, ac tuebitur.

Est cura Numini altera,
Punire pravos : hos bonis
Artes dolosas texere
Permittet ; at post puniet.

Hodie malorum tam frequens
Annona, tantaque est seges,
Sit census ut tutissimus,
Habere quod perdas nihil.

Bella inter, est, nullas opes
Habere, magna pars opum ;
Carere ne doleas minus,
Quàm, quas habes, amittere.

Vox vera: plebs & rustici
Ut sunt tyranni pascua,
Sic & tyrannus, dæmonis.
Malè imperans, perit malè.

Pastor vel hircos, si lubet!
Errare, gratis mulgeat:
Exinde nil præter meri
Fontes cruoris exprimet.

Nil continente paupere
Datore cense ditius:
Nil colligente divite
Raptore pauperius puta.

Honestâ cur pauper loquens,
Et recta, vulgò spernitur ?
Vulgus crumenâ in fordidâ
Plus audit auri pondera.

4. Si, quod decet, semper vigil
Animus magister imperet,
Oculi nihil peccent tui:
Facit nocentes Rex piger.

Vt plurimum dominus domûs,
Est servus unus omnium.
Sui æmulantur Principis
Mores bonos cives boni.

Terrestris orbis Principum
Delicta, strictioribus
Haud continentur finibus ;
Orbem universum pervolant.

Quod Rex agis benè, aut malè,
Haud sistit in te : mox abit
In vulgus exemplum, & brevî
Grege, Rege claudo, claudicat.

5. Te, forte qui Regum putas
Nil esse in orbe beatius,
Aut larva rerum, aut nominum
Species inanis decipit.

Quos altiore conspicias
Solii federe culmine,
Rutilâ nitentes purpurâ,
Armisque septos tristibus ;

His, mente saltem, detrahe
Cultûs inanis tegmina,
Cernes frequenter fordidis
Intus ligatos vinculis.

6. Vir magnus errat ? argue
Crimen viri ; sed in viro
Ostende crimen altero,
Ne censor audax audias.

Invisa

Invisa magnis veritas
Proritat iram aut nauseam:
Sæpè hostis hostem fortiùs,
Quàm lingua adulatrix juvat.

Cur hoc videtur sæculo
Miserrimis Regum status?
His veritatem dicere
Pauci volunt, multi timent.

Tenere cuncta quem putas,
Verace Rex eget viro:
Regnum Verona divitat;
Depauperat Placentia.

Paucissimi, rarissimi
Placere magnis auribus,
Os liberum quibus fuit,
Et mens rei impatiens malæ.

Ius eloquendi liberum
Si temporis negat rigor;
Ius sentiendi liberum
Tempus negabit nemini.

Vbi Regis aurem commodam
Titillat assentatio,
Ibi muta veritas jacet,
Ibi suada regnat vanitas.

Non est adulator sator,
Qui munus accepit vetus:
Iterùm parabit obsequi,
Cum munus esuriet novum.

Si lingua adulatrix tuas
Perflarit aures; alteri
De te caveto credere,
Quod antè non credas tibi.

Calumniator est hiems;
Æstas adulator: per hunc
Nec eris apud te; nil eris
Prorsus per illum apud alterum.

7. Ab improbi oblatum manu
Ne fume munus: forsitan
Largitione vult sui
Delere criminis notam.

Cum quid petes à Principe,
Lætus repulsam sustine:
Redibit opportunitas,
Ut annuat quod abnuit.

Qui dona mittis Principi,
Donas? an astutè petis?
An sceneraris? fors tuis
Auceps dolis captaberis.

Fers dona pauper diviti?
Vel desipis, vel quod dare
Vidèris, id, vel plus capis:
Spe plus quidem, re vix idem.

Vt odi egentem, diviti
Qui larga defert munera;
Sic verba dantem pauperi,
Cui cibum & potum negat.

Vbique amicum pauperem
Potentis ignorant fores:
Amica semper, & patens
Est aula dives diviti.

Viro potenti, aut diviti,
Sociare te pauper cave:
Meliùs solet dives datam
Servare cum pari fidem.

X 2

Tibi

Tibi quando plus nimio places,
Iactasque te esse sat tibi;
Quî fit, cupido, & spes tua,
Aliena ut esuriant bona?

Patiantur, an pariant opes
Dementiam, ne disputa:
Sed inde natam te scias
Debere nequitiam pati.

Hodie quod ardentem cupis,
Cras fortè compos negliges:
Quem res negata vellicat,
Frequenter infatuat data.

Est ille dives & potens,
Sat esse qui fecit sibi:
Haud ille pendet à novis
Ævi superbi fraudibus.

8. Vetères novat mores honor,
More hujus ævi: tu tamen
Honore mutatus novo,
In more mutaris nihil.

Te dignitatis pro gradu
Sublimiore nil move;
Tibi, tui sat conscio,
Fiet gravis quam sustines.

Honoris ad novi gradum
Evectus, humilem te omnibus
Subscribe servum; se tamen
Ut nemo rideri putet.

9. Parcè impera; nec viribus
Apud bonos sceptri utere:
Miti atque clementi DEO
Violenta iussa displicent.

Tuos habe non ad pedes,
Sed in sinu: ducem decet
Amore palmæ milites
Animare, non vi cogere.

Pœnâ coërcentur mali;
Boni excitantur præmio:
Virtus seipsâ præmio
Bonos facit, facit viros.

Frequentior severitas
Auctoritatem destruit.
Te posse, qui nunc imperas,
Servire cogita brevî.

Hodie gubernas; cras potes
Subesse: qui nunc imperas,
Parère disce: nunc herus,
Expecta ut olim servias.

Achillis, in scænâ, histrio,
Priamive personam gerit:
Sed vix peracta est fabula,
Cum sortem ad antiquam redit.

Te crede talem: quam geris,
Persona, munus est DEI.
Ne palla fallat, crebrius,
Quid sis, apud te cogita.

Non Cæsar, aut Rex, sed tua
Te nobilem virtus facit:
Virtute pulchrâ pulchrius
Fit nobilis, quam nascitur.

10. Cæsar PHILIPPI filius,
Laus est PHILIPPI; Cæsaris
Pater, PHILIPPUS NERIUS;
Immensa laus est Cæsaris.

Orna-

Ornare docta Cæsares,
Onerare discat purpura.
Quem? Cæsarem; sed Cæsarem
Quem non creavit Cæsarem.

Quos vestiebat purpura,
Faciebat olim Cæsares:
Te, Cæsar, unum purpura
Non fecit; esse repperit.

Illis honori purpura,
Oneri tibi, Cæsar, fuit:
Sat luce splendes nominis,
Re Cæsar, ante purpuram.

Sub fasce purpuræ gemis,
Quæ Cæsares tot extulit:
Quæ tot levarat Cæsares,
Hæc Cæsar unum te gravat.

Illi ambiere purpuram,
Quâ Cæsar invitus rubes:
Posuere mœsti Cæsares,
Quàm ponis ultrò purpuram.

Stirpis decus factis proba:
Virtute pulchrius puta
Genus auspicari, criminis
Quàm fœditate solvere.

Meliùs paratur Nobilis
Virtutibus, quàm nascitur.
Beatus es, si te aureo
Amplectitur virtus sinu.

E Sole lux; Sol è Polo;
E fronte virtus promicat:
Formam videns, amo virum:
Non forma, sed virtus capit.

Medium tenet virtus locum:
Tu cum bonos inter duos
Medius sedes, medium vide
Virtus ut obtineat locum.

II. Ob patris ingentes opes,
Aut prisca avorum stemmata,
Tumere noli: sunt bona
Majora, virtus & pudor.

A stirpe avorum nobili
Tibi est honestè & splendide?
Lauda parentes: gloriâ
Time tumere non tuâ.

Virtute nobilitas tibi,
Labore creverunt opes?
Nec ipsa virtus, nec labor
Tumere te fastu sinant.

Opes avitæ quem solent
Inflare, qui rebus citò
Turget secundis, murmure
Reflantis auræ detumet.

Proavos, avos, imagines,
Fumosque jactas cereos:
Conare rebus inclytum
Æquare nomen arduis.

Quid esse censes nobilem,
Præterquam honestè vivere?
Quò clarius tibi est genus,
Hòc sit minor licentia.

Quò dignitati plus licet,
Tantò tibi libeat minus:
Quò factus es sublimior,
Hòc, ne cadas, magis time.

X 3

Scis,

Scis, magne vir, tuus tibi
 Quàm magna debeat cliens:
 At si ipse, quantò debeas
 Majora nescis, es miser.

Qui servulos pascit domi
 Plures, facultas quàm ferat,
 Hunc fortè servorum brevî
 Fieri videbis servulum.

Time, & cave, ne plurimo
 Circumdatus satellite,
 Te tot deinde sentias
 Depauperatum furibus.

Iniqua fit distinctio
 Heri atque servi: est omnium
 Pater unus, unus arbiter;
 Servos, herosque lex ligat.

Humanitatis sit tuæ
 Et liber & servus memor:
 Quòd servitutum serviat,
 Homo esse nemo desinit.

Servum licet pecuniâ
 Tuos in usus emeris,
 Famulumque jure nuncupes,
 Hominem quoque esse cogita.

Juvenem quoque & servum lubens
 Audi monentes; maxime
 Meliora quando liberi,
 Senisve consiliis dabunt.

Est apta sæpè temporibus
 Olitor locutus servulo.
 Catena vim mentis nihil
 Minuit: vtrumvis audias.

Haud servus, aut ignobilis,
 Time vocari, sed malus:
 Genus omnium putris caro:
 Verè viri, virtus, genus.

Non temporibus, sed moribus
 Adscribe, quòd vir, femina,
 Vrbs, civitas, provincia,
 Regnum bene audit, aut malè.

Regnum vacillat, cui puer
 Dat jura; ubi convivium
 Bene manè tractant Principes,
 Diemque disperdunt jocis.

12. Multam salutem Principi
 Optare, prodest civibus:
 Nullam salutem Principi
 Potare, cum decet, licet.

Minus salutis hoc habes,
 Quò plus salutis ebibis:
 Quæ te, miser, salvet salus,
 Qui tot salutes hauseris?

Quem Rex Alexander suo
 Nodum ense solvit, quæritur,
 Gladiine, an ingenii magis
 Mucrone no dum solverit.

Hunc ingenium nullo potes
 Mucrone nodum solvere:
 Nec ille Rex, licet potens,
 Villo ensis ictu ruperit.

Dic cur Alexandro unicus
 Juveni nec orbis sufficit?
 Mens magna Regis maximæ
 Est orbe major maximo.

Cur

Cur magnus idem maximo
Non unus orbi sufficit?
Quia Rex Alexander minor
Est orbe, sit magnus licet.

Majoris orbis est homo
Dilucidum compendium:
Corpusculo quidem minor,
Sed mente major maximâ.

Parvum te, & ingentem vide:
Es orbe major & minor:
Nanus, minorque corpore;
At mole mentis es gigas.

13. Est civium salus, amor:
Quam magnâ, tam felix erit
Hæc civitas, in qua omnium
Erit cor unum civium.

Res parva crescit civium
Concordiâ; discordiâ
Dilabitur res maxima:
Ut rem augeas, paci stude.

Partes, simultas, factio,
Provinciarum & urbium
Sunt lenta febris; at sacræ
Sunt pestis, & labes domûs.

Est patriæ felicitas,
Cum Rege quando Præsules
Iunctim regunt: ubi dissident,
Propè est ruina patriæ.

Vrbs stare non potest diu,
Quam plebs patresque dividunt:
Vbi plebs repugnat patribus,
Est urbs propinqua casui.

Vrbs notat mores malos
Iterata sæpè concio:
Sermonibus nil est opus,
Vbi facta fulgent optima.

Vbi corde clausa perfido
Fraus regnat, & malus ambitus;
Ibi propriis odiis brevî
Lacerabitur Respublica.

Virtutis oderunt boni
Peccare amore: civitas
Raros habebit hæc bonos,
In qua probum esse, sit probrum.

Quod publicâ in re, Principe
Tractatur invito, scelus,
Aut partis ægræ morbus est,
Toti venenum corpori.

Et Regis, in malum gregis,
Molitiones callidæ,
Gregisque clancularia
Consulta, regnum diruunt.

Errante plebe, plurium
Capitum furente bestiâ,
Regnare agyrtes incipit,
Ruit ordo, mundus fit chaos.

Plebi furenti blandula
Ne crede, sed minùs minas:
Suo seipsam turbine
Popularis ira dissipat.

Maris satur, jubeo, veto,
Pericla devita maris:
Quid à mari tutum putes,
Quod in seipsum sic furit?

Dum

Dum litigat grex arietum,
Fit victor & victus lupo
Optata præda; at hic satur,
Vrfo aut leoni fit cibus.

Est eloquens violentia:
Hæc una nolentes prius
Facit volentes; injicit
Etiam gigantibus manum.

14. Patriam togâ aut sagô juva,
Cives vel inter exula:
Se denegare patriæ,
In patriâ exilium est pati.

Animi nitore te DEO,
Modestiâ te civibus
Probare si studes tuis;
Es patriæ natus bono.

Si patria est probro tibi;
Sic vive ne sis patriæ:
At quando, ubi, quoties humo
Te tollis, à fumo cave.

Vbique patriam bonus,
Vbique fortis invenit:
Forti, bono omne fit solum,
Salum fit omne patria.

Ibi patria est, vbi est benè;
Vbi est malè, exilium: bonus
Facies ubique patriam;
Patieris exilium malus.

Natura patria est bonis,
Non terra: nemo in exulis
Bonus dolebit nomine:
Tibi fac ubique patriam.

Vates canit: Viro solum
Est omne forti patria:
Sed ubi anteit res artibus,
Est, ferre m ores, durius.

15. Est aula Circe cordium;
Est aula fucis horreum;
Morum Charybdis curia;
Ditis crumenæ spongia.

Est rarus inter Aulicos,
Cui providus Princeps velit,
Tutoque possit intimæ
Arcana mentis credere.

Esto tuus, quoad licet,
Non aulicæ cliens domûs:
Est insolente mitior
Electa paupertas hero.

Procul sit ambitio, nisi
Vt liber esse desinas:
Honoris ambitio placet?
Et servitus placeat comes.

Est servus, & vivit miser,
Multis superstes mortibus:
Cur, sponte servus, Aulicus
Quot odit, ambit tot neces?

Non pœna, non crux, non labor,
Sed causa martyrem facit:
Aliàs liceret Aulicos
Multos vocare martyres.

Aulam fidelem, sobriam,
Piam, modestam quando te
Reperisse credam; me duce,
Aut me sequente, aude sequi.

Quòd

Quòd nec fidelem, nec piam
Ingressus aulam sis, doles,
Querereſque; nec tamen fugis :
Me, bis miſer, miſeret tui.

16. Ambis honores, ceu tuis
Meritis inantè debitos:
Meritò time, ne te dies
Probris onustum detegat.

Vigili cave ſolertiâ,
Ne priſtino excidas gradu:
Cùm dignitatem amiſeris,
Eris vel ignavo jocus.

Linguae typho, barathrum gulae,
Libido, tres peſtes tuae
Sunt dignitatis : ni fugis
Hæc monſtra, te fugit pudor.

Eſt rebus humanis fides
Gypſata : res aulae time:
Vix culmen altum viceris,
Cùm lapſus ima iterùm petes.

Magni ambitu cognominis
Nomen cave amittas bonum:
Sequitur tegentem ſe fugâ,
Fugit ſequentem gloria.

17. Errare te ſcio nimis,
Qui velle me putas coli:
Mihi coli non convenit;
Sed colere convenit tibi.

Hoc nolo, quod non convenit;
Quod convenit, quidni velim?
Cavebo, ne colar nimis;
Ne non colas ſatis, cave.

Te crede falli, qui tuo
Honore me credis capi:
Honor, quo honoror, haud meus;
Sed quo me honoras, eſt tuus.

18. Res mutua, & foenus frequens
De liberis ſervos facit.
Imago furti eſt, lautius
Vixiſſe quàm cenſus ferat.

Qui liber eſ, fuge annua
Quæ foenus addit nomina:
Foenus clientes exedit,
De liberis ſervos facit.

Non poſſe, quod debes, dare,
Mors inſepulta eſt. Tu boni
Amore nominis, notam
Citò fuge tardi nominis.

Ne creditori, cùm potes,
Differ dare: expunge ocyus
Nomen vetuſtum; conſcius
Non eſſe, quod debes, tuum.

19. Eſt cordis illex avia.
Avarioris alea:
Poſitiſque nummis ludere,
Eſt vitæ honeſtæ oblivio.

Eſt alea incertiſſimi
Ioculare mancipium lucri:
Mentem, aleator quiſquis eſ,
Tempuſque habes venalia.



Y

Justi-

Justitia. Judex.

1. **S**alus, & omne in his tribus
 Consistit orbis vinculum;
 In lege, cultu Numinis,
 Animi que gratitudine.

Vbi deest prudentia,
 Ibi deest scientia:
 Vbi deest scientia,
 Ibi deest prudentia.

Vbi deest sapientia,
 Ibi deest reverentia:
 Vbi deest reverentia,
 Ibi deest sapientia.

Vbi deest lex Numinis,
 Ibi vita civilis deest:
 Vbi vita civilis deest,
 Ibi deest lex Numinis.

Iniquitatis est metu
 Reperta lex: sed æquitas,
 Et vita recti conscia,
 Quid legis indigent ope?

Legem tuendo Numinis,
 Hominis minas nihil time:
 Custodem honesti, & ordinis,
 Et legis, haud tanget metus.

Leges ama, modum tene,
 Nulli deinde servies:
 Si legibus morem geras,
 His imperabis, & tibi.

Leges ubi cum legibus
 Iustiniani garrunt;
 Ibi sæpè scripta lex DEI,
 Et nata nobiscum, fiet.

Lex scripta, quamvis utilis,
 Contra vi agentem nil agit:
 Vbi est locus violentiæ,
 Ibi ordo Iuris exulat.

Præesse qui Iuri voles,
 Ad jus præire te decet:
 Opus est iniqui judicis,
 Impunè facere quod lubet.

Rhetor scelestus, legibus
 Est pestis ingens optimis:
 Republicam orator probus
 Probis adornat moribus.

Ingente lucro publicam
 Rem ditat orator bonus:
 Majus bonis damnum malus
 Orator infert civibus.

Vt jure Iuris audias
 Consultus, audi Numinis
 Divina scita, & intimis
 Servanda conde sensibus.

Ne justa credas omnia,
 Quæ pulchra reris, arbiter:
 Minister æquitatis es,
 Non æquitatis regula.

Vti nimis doctus foro,
 Peritior que tempori
 Servire quam legi DEI,
 Legi DEO que displicet.

Ius cuique scire reddere,
Prudentis est: est, firmiter
Id velle, iusti: id denique
Audere, fortis est viri.

Lex & fides iſto ſimul
Orbem gubernant ſœdere:
Mentes vagas frænât fides;
Lex improbas ſtringit manus.

Tellure ſurgens veritas,
Cæloque labens æquitas;
Hæc ima, ſumma, ſunt duo
Vitæ beatæ pabula.

Vbi excoletur æquitas,
Ibi pax vigebit: pacis eſt
Servata mater æquitas;
Pax æquitatis filia.

Vbi exulat legum metus,
Ceduntque iura viribus;
Ibi victa donis æquitas
Sub enſe pugnaci jacet.

Eſt mater inſolentiæ
Sperata conniventia:
Auſum ſupina impunitas,
Et auſus exceſſum parit.

2. Ne motus iræ turbine,
De jure conſilium cape:
Cras, nunc quod ira conſulit,
Non eſſe conſultum ſcies.

Ne credat irâ ſe reus
Non jure plecti, motibus
Obſiſte: ſæpè tranſilit
Punitor iratus modum.

Nil ſeriâ de re citò
Decerne mente turbidâ:
Sæpè inquieta mens probat,
Quieta quod mens improbat.

Turbata quod mens aſſerit,
Tranquilla vix memor negat;
Et quod quieta mens probat,
Animus refutat turbidus.

Quamdiu doles, temerè tuis
Ne crede conſiliis: nocet
Animo dolenti credere:
Prudentiæ hoſtis eſt dolor.

Vbi gaudium, dolor, metus,
Spes vana regnant, nubila
Videre mens verum nequit;
Sed falſa pro veris habet.

Animus opinionibus
Præoccupatus ſæculi,
Nescit ſerenum; nil benè,
Nil liberè dijudicat.

Mens curva blanditur ſibi.
Quas jure das pœnas tui
Erroris, has cave boni
Facti arbitrari præmia.

3. Ad puniendum non ſolet
Properè exilire vir bonus:
Damnantis id quod nesciat,
Eſt punienda temeritas.

Sonti quidem, ſed ſupplici
Ama benignè parcere:
Hòc plura conferes bona,
Quò plura differes mala.

Nocens precatur ; innocens
 Iniquitati irascitur:
 Vbi innocens sese indicat
 Timere, damnat judicem.

Quæ causa misericordiam
 Sui requirit judicis,
 Videtur esse pessima:
 Est innocentis optima.

Sub lege durâ, judicis
 Opem roga : clementiâ
 Obscura vult lex corrigi:
 Regina legis æquitas.

Nec omnibus, nec nemini
 Ignosce: nemini furor
 Ignoscit, error omnibus ;
 Vtrumque prudenter cave.

Damnata juris ordine
 Cave tueri crimina;
 Favore ne sis noxio
 Damnationis particeps.

Socius videtur criminis,
 Quisquis nocenti fert opem:
 Obsilte fonti : non potest
 Infons videri, qui juvat.

Punire cum times malum,
 Plures ei similes facis:
 Nequit esse judex innocens,
 A quo nocens absolvitur.

Arcet periculum, judicis
 Cunctatio & prudens mora.
 Nisi pœnitere mâvelis,
 Audi priusquam judices.

Damnare ne propera: citò
 Quæ lingua damnat, vocè habet,
 Vim non habet, nisi ut ducem
 Habere se mentem neget.

Audi, roga, bis, ter, quater:
 Citatior sententia,
 Vt plurimum, temerarii
 Ab ore manat arbitri.

Crimen videtur quærere,
 Qui teste nullo judicat:
 Damnât libenter, qui citò:
 Nec damnât æquè, qui nimis.

Aures duobus da duas:
 Nil juris aut facti arbiter
 Decernit æquus, antequam
 Pars audiatur altera.

Pupilla clausa judicem,
 Et trunca commendat manus;
 Nullis reflecti affectibus,
 Nullisq̃ue muneribus capi.

Accepta dona memineris ;
 Abs te data obliviscere:
 Sed à doloso munere
 Curvæ manus manum abstine.

Mercede victum judicem
 Mala damna tartari manent:
 Æquum est iniqua qui patrat,
 Vt æqua cogatur pati.

Donis subactus arbiter
 Datam gemet sententiam:
 Malè arbitro, væ judici,
 Cui munitus infatuat manus.

Vel

Vel mente sanâ præditum
 Cæcare possunt munera:
 Laqueis aves, aut retibus;
 Altutus auro prenditur.

Laqueo leonem maximum
 Pusillus attrahit lepus;
 Sic vincit auro maximum
 Pusilla turba Principem.

Cur sanguis, & lingua, omnibus
 Aurum putatur? an quia
 Virtus & eloquentia,
 Auro loquente, conticent?

Auro loquente, Tullii
 Ægrotat eloquentia:
 Silentio plebem docet,
 Delectat, & valdè movet.

Pax optima rerum.

1. **P**Acis bonum, & concordia
 Tibi eligendus est amor:
 Non invida ambitio, mala
 Tot bella quæ secum trahit.

Litem oderis: bona res, quies:
 Res, turpe lucrum, turpis est:
 Periculosa temeritas:
 Egisse quod voles, age.

Est pace nil pretiosius;
 Nil, quod sequaris, dignius:
 Felix, cui placidam datur
 Sine lite vitam claudere.

Tibi sit auro carior,
 Quæ vita litibus caret:
 Tumultuoso diviti
 Præfer quietum pauperem.

Rem, quâ potes, serva tuam
 Sine lite tutam: jus tuum
 Sine advocato judica:
 Lis mota nescit terminum.

Lis ulcerosa spem parit;
 Scabiosa litem spes alit:
 Cave; utriusque erit comes
 Et finis, Infelicitas.

Litem parit lis alteram,
 Noxamque noxa: fervida
 Contentionis exitus,
 Est sæpè pœnitentia.

Quem jure possis vincere,
 Huic cede: servatur noyo
 Amicus obsequio vetus;
 Contentione pellitur.

Voces duas, Meum & Tuum,
 Expunge; nullus litibus
 In orbe restabit locus:
 Pax occupabit & quies.

Si vita, si victoria
 Arridet; æqua cogita:
 Est norma vivendi ut decet,
 Modusque vincendi, æquitas.

Nec cuncta, nec semper velis
 Iure obtinere: in tempore
 Plus vinci honeste proderit,
 Quàm lite turpi vincere.

Quem jure possis, cum voles,
 Malis ferendo vincere:
 Illustris est patientia,
 Obscura, juris æquitas.

Es quisquis osor litium,
 Turbas & iras effugis:
 Hac lenitate, plurimum
 Tranquillitati consulis.

Amica pacis æquitas
 Deliberationibus
 Aperire consuevit forum,
 Foresque bello claudere.

Vicinus est malus tibi?
 Huic indigenti fac benè:
 In jus ubi vocaberis,
 Pro te volens testabitur.

Læsus, potenti da locum,
 Da tempus iræ: te volet
 Sontem juvare septies,
 Qui læsit in fontem semel.

Iracundia. Mansuetudo.

1. **I**Nsania est quidam furor;
 Homines in irâ corripit:
 Hanc continere, ingens opus,
 Viroque dignus est labor.

Est fortis ille, qui facit
 Ex hoste amicum, qui malæ
 Domitor cupidinis, suam
 Substringit iracundiam.

Sta fortis, & tacitâ tuos
 Prudentiâ affectus doma;
 Facies amicum qui nocet,
 Hostemque reddes hospitem.

Æqui bonique regulam
 Conculcat ira, cum caret
 Duce ratione: nil boni
 Tractari ab irato potest.

Est lucis expers impetus;
 Ignara rixa consill;
 Concordiæ altercatio,
 Sapientiæ arrogantia.

Præceps ad iram, rem ob levem
 Leviter movetur; nec potest
 Quæ recta sunt discernere,
 Et ad docendum ineptus est.

2. Infirmus est animus ferox.
 Iram coërce: ni facis,
 Mentis recedet pristina
 Et robur & serenitas.

E nare pressâ abit cruor,
 Lac & butyrum ab ubere;
 Sic rixa ab irâ nascitur:
 Rixam times? iram preme.

Sit ira lenis: altero
 Sic temperetur alterum,
 Ne lentior sit lenitas,
 Nec ira sit violentior.

Placidæ quietis otium
 Ne turbet ira, fluctibus
 Obsiste primis: serviat
 Adfectus; huic mens imperet.
 Quando

POEMATVM SPIRITVALIVM PARS III. 1

Quando esse nulla non potest,
 Sit ira lenta, sit brevis:
 Morata, & inter candidas
 Mentis similtates parit.

Prudentis est opus viri,
 Possè, atque nolle lædere:
 Haud posse quemquam lædere,
 Et velle, stultorum est opus.

Qui tam repentè irasceris,
 Idemque placaris citò;
 Quod parte ab unâ amiseras,
 Lucraris hoc ex alterâ.

Injuriam insontes ferunt,
 Non inferunt: minis, manu
 Vexantur: abstinent manus,
 Minasque, vexant neminem.

Irasceris citissimè,
 Placaris & tardissimè?
 Talis quid expectes, nisi
 Vt audias vir pessimus?

Majora damna fer magis,
 Minora quàm velis dare:
 Audire quis nequam eligat,
 Aut esse malit, quàm miser?

Irasceris tardissimè;
 Placaris at citissimè?
 Hæc promeretur indoles,
 Vt audias vir optimus.

Injuriam quòd nemini
 Iam feceris, non protinus
 Es justus; at quando potes
 Facere, nec optas, nec facis.

Irasceris tardè; sed hoc
 Placaris ipse tardiùs?
 Laudem boni partam viri
 Irâ tenace prodigis.

Nocere cùm vis alteri,
 Vbique causas invenis:
 Menti malæ nusquam deest
 Malefaciendi occasio.

Sic dissidère consuli
 A consule ob munus licet,
 Ne sub colore muneris
 Offendat alter alterum.

Benè fac bono: vir optimus,
 Fiet laceffitus malus:
 Mutare se, quam provocas
 Injuriâ, bonitas potest.

Amore consta, iræ immemor;
 Habeat similtas terminum:
 Finem modumque nesciat
 Amoris antiqui favor.

Cùm lenior mens læditur,
 De lenitate fit furor:
 Quò mitior qui læditur,
 Hòc ejus ira est æquior.

3. Sic sensa mentis ordina;
 Sic dicta, facta dirige;
 Vt nemo jure abs te queat
 Fuisse se læsum queri.

Frequenter est viri boni
 Gravissima iracundia:
 Bonitas ad iram tardior,
 Livore læsa fulminat.

Si

Si vis nocere nemini, Est hostibus maledicere,
 Sume indolem columbuli. Vestigium imprudentiæ:
 Tibi vis nocere neminem? Verbo cavebunt territi,
 Serpentis ingenium indue. Nocere ne facto queas.

Vir mitis & tractabilis Ne detrahe hosti mortuo,
 Substringit iram: injurias Sed ejus adde laudibus;
 Vultu sereno digerit; Ne, posse quod te quis videt,
 Cera est, columba est, agnus est. Potuisse non credat prius.

A fratre quod jure exigis, Felix es, hoste si cares;
 Id, quâ potes, fratri exhibe: Felicior, si te carent
 Hoc æquitatis est breve Hoste omnia: utrumque obtines?
 Et lucidum compendium. Miser es, vel ad finis DEO.

Stude nocere nemini: Felix es, hoste si cares;
 Errore si quem læseris, Felicior, si te caret
 Quo jure possis conqueri, Et omnis hoste & singulus.
 Quod jure multeris pari? Vtrumque habes? par es DEO.

Cum perpetraris quid grave, 5. DEUM ut sequaris, vim tuam
 Non sit grave iram perpeti: Cave nocendo ostendere;
 Nam jura debent par pari, Monstra juvando: quanta laus,
 Malum malo rependere. Nil posse plus quam scorpius!

Quod alteri antè feceris, Aversioni cordium
 Ab altero expecta malum: Da tempus; indignatio
 Quas compedes facit faber, Est error: hic moritur morâ,
 Sæpè in suam struit necem. Cineresque amoris suscitât.

Sæpè ipsa fieri injuriam Quando malo vincis malum,
 Coëgit improbitas sibi: Non vincis; ipse vinceris:
 Per se perit quisquis perit, Quando malum vincis bono,
 Gladioque se jugulat suo. Haud vincit hostis; vincitur.

4. Ab hoste carpe commodum. Memorare & obliviscere:
 Ne, quod patraris, arguat, Esto boni accepti memor,
 Hoc vive teste cautiùs: Dati immemor; mali immemor,
 Amara purgant pharmaca. Facies bonum, fugies malum.

Iratus,

Iratu, ad mentem redi ; Mors est superni luminis,
 Compeſce cæcos impetu : Mors eſt amoris, improbæ
 Da temporis levem moram, Amor ultionis: ut tibi
 Locumque pœnitentiæ. Parcit DEUS, parce alteri.

Malè fecit iſte? fac benè ; Ne ſurge probro ſaucius,
 Bonumque redde pro malo: In probra vindex mutua:
 Nec innocentiam velis Vindicta ſtulto convenit,
 Odio nocentis perdere. Hanc defer hoſti, ſi ſapis.

Sta mitis, aut iram rege: Injuriam oblivifcere:
 Rationis extra limites Damni, doli, calumniæ
 Iratù, aut præter modum, Debet vetuſta memoria
 Habitare apud te deſinis. Fraterno amori cedere.

Quando ira de placido trucem Potens obefſe, nec velis,
 Te fecit, abſtulit tibi: Bonitate vim premeſ tuam,
 Ratio benignum de truci Nec opprimeſ: viſ agnita,
 Te reddit, ut reddat tibi. Virtute fiet clarior.

Quò major eſt, hòc eſt homo Fuge talionem: odit DEUS
 Humanitati pronior: Memores querelarum notas,
 Sed hòc homo eſt homo magis, Nullumque contumeliæ
 Quò ceteris humanior. Superefſe vult veſtigium.

Irà excitetur mens hebes; Vix ulla ſit melior tuæ
 Mens mota per patientiam Iræ medela, quàm DEI
 Sedetur: ignem mutuò Patientis, heu! pro te Crucem
 Vnda, ignis undam temperet. Amica contemplatio.

Vt corpus enſis, aſpera Si debitor non eſt DEO,
 Sic dicta mentem ſauciant: Siſ debitori durior:
 Injuriam ne ſentias, Debere te agnoſcis DEO?
 Haud pertinere ad te puta. Ignofce debenti tibi.

6. Calumnias noli acribus Odium creabit mutuis
 Arcere dictis; quin ſtude, Liſ orta de cavillulis:
 Ad ultionem fervidos Sedabit irarum minas
 Frenare mentis impetu. Mentis nitela ſimplicis.

Z Cer-

Certare qui vitiis volet,
Huic cedere est victoria:
Si quis volet virtutibus,
(Iuuet experiri) haud cedere.

Insignis est protervia,
Litis sepultæ mortua
Redintegrare femina:
Tu mitis, obliviscere.

Contentionis desine:
Sit centuplo pluri tibi
Vel una pacis uncia,
Quam tres libræ victoriae.

Nil æstima, quam iurgio
Paraveris victoriam:
Homines quid inter, ô homo,
Canis videri gestias?

Contende paucis: tristior
Rixam manet victoria.
Te plus decet, cum sis homo,
Homini imminere nemini.

Extrema meta iurgii,
Vtrimque pœnitentia:
Extrema mansuetudinis,
Mentis serenæ gaudium.

Vesana vita iurgia,
Nec ore digna, nec auribus:
Cave, verba si verbis paras,
Furore ne te acuant pari.

In te antè fac pacem tibi;
Pacabis unus omnia:
Tam pulchra fulcra quis suæ
Felicitati subtrahat?

Nulli malè, omni fac benè,
Quibus onus es, sint hi tibi:
Hos excute: est tutissimus
Thesaurus innocentiæ.

Si ferre non potes malos,
Nec esse cum malis bonus;
Nec es, nec ex vero potes
Audire simpliciter bonus.

Mansuetus & sapiens solet
Improvidi esse vehiculum:
Temerarium fert, & vehit:
Toleratque stultum, qui sapit.

Dolori in iram fervido,
Verboque ab irâ missili
Ignosce: mens hominis tacet;
Sed ira clamat, & dolor,

Medetur iracundiæ
Benigna amici oratio;
Verbisque blandioribus
Mulcetur irati dolor.

Non quod dolor, sed quod fides
Dictarit, id factum est opus:
Non hoc ages, nisi & tuis
Habearis æquus hostibus.

7. Odiosa sunt odia omnia,
Aperta, operta; sed dolus
Odiosiora hæc efficit:
Vitabis illa, si caves.

Odiis apertis plus nocent
Operta; fraus hæc clanculò
Armabit, aut teget dolus:
Vitabis illa, quæ vides.

Ami-

Amicum an hostem juveris,
Variis docebit exitus :
Ab hoste cum vives procul,
Incommodum non senties.

Me nemo nunc acerbius
Vrgere gaudet, unico
Quam qui me amico millies
Est usus, ut saperet magis.

Ira omnium tardissimè
Senescit: hosti ne statim
Confide: lentè gratia
Sarcitur, at citò solvitur.

Vix nata, vix semel agnita,
Cum flore flaccet gratia:
Injuriae folium levis
Haud flaccet ; at se ventilat.

Injuriam uni qui facit,
Multis minatur: qui nocet
Vni, nocebit omnibus,
Inimicus esse cum volet.

Est pertimescendus tibi,
Qui jam suae vitae satur,
Vel osor, haud timet mori:
Vitae ille fit dominus tuae.

8. Est, qui coactus opprimit
Salvare quem vult, bis miser ;
Quod nolit inferens malum,
Quod malit auferens bonum.

Est, qui coactus deserit
Iuvare quos malit, miser:
Si non beatus & miser,
Prodesse qui vult, nec potest.

Est, qui coactus arguit,
Laudare quem malit, miser:
Imò beatus, neminem
Quòd non coactus arguit.

9. Contentionum femina
In rebus & verbis cave:
Dictum omne refert, quam bono
Veroque sensu intelligas.

Vel linguae in ipso turbine
Sta compos & victor ; citus
Audire, lentus dicere:
Amentis os mentem anteit.

Lingua Bona.

Lingua Mala.

1. **M**oderare linguam; sed prius
Turbas serena pectoris:
Ineruditum turbida
Loquela pectus arguit.

Homo videt paucissima,
At cuncta pervidet DEUS:
Inanis hinc homo loquitur
Sapissimè, DEUS semel.

Et rarius loquitur DEUS,
Et quando oportet : tu DEO
Virtute in unâ proximus
Vis esse ? iudicio tace.

Vitae & salutis sit tibi
Fecunda mens sermonibus,
At parce linguae : intus docet
Facundius silentium.

Z 2

Homi-

Hominem DEUS sensim docet,
Componit, aptat, ordinat,
Hortatur, ad se pellicit,
Totumque conformat sibi.

Divina erebrius tuis
Inscribe sensa sensibus;
Sed verba libra: vel nocet
Cita lingua, vel prodest minus.

Oculos imago fascinat?
Elude Numinis metu:
Pictura noxæ non erit;
Pingetur, at delebitur.

Tacitis honesta sensibus
Insculpe dicta: promptior
Hæc lingua delet, alteri
Vix utilis, tibi noxia.

Cave linguâ abuti: res bona
Est lingua, si utaris benè:
At si malè utaris, mala.
Mala fit abusu, usu bona.

Doctissima est lingua omnium,
Est omnium lingua optima,
Quæ, recta cum ratio jubet,
Tacere novit, & loqui.

Quæ lingua nobilior? bona:
Quæ lingua mobilior? mala.
Bona lingua, lingua nobilis;
Mala lingua, lingua mobilis.

Diserta lingua psittaci;
Est carpionis optima:
Sordet, nocetque garrula;
Taciturna prodest, & placet.

Ne lingua vitium contrahat,
Huic adde iudicii sale:
Ut servet illæsam coquus,
Hanc plurimo fricat sale.

Tacere quamdiu nescies,
Numquam scies rectè loqui:
Prudentis eloquentiæ
Magister est silentium.

Tacere quisquis nesciet,
Idem ille nesciet loqui:
Vnius ejusdem artis est,
Aptè filere, & eloqui.

Videtur eloquentiæ
Ars longa; censetur brevis,
Silentii: haud disces tamen
Tacere, stans uno pede.

Est indecora omni loco
Loquacitas: schola fit schola;
Forum, forum: facundiæ
Magistra fit taciturnitas.

Est tempus ut prorsus nihil
Loquaris; est ut nonnihil:
Sed ut loquaris omnia
Vbique, numquam tempus est.

Si lingua, cum decet, tua
Tacere didicit; hoc opus:
Et alter hic restat labor,
Rationis imperio loqui.

2. Virtutis est specimen leve,
Tacere: dæmones tacent,
Quamvis mali: at sperni solum
Virtus amat silentium.

Est

Est qui maligno cor tegit,
An protegit, silentio?
Talem ocyùs fuga, aut fuge:
Fert longa discrimen mora.

Fuge aut fuga silentio,
Qui pectus obscurum premunt:
Sæpe est apertis vocibus
Malignior taciturnitas.

Est tuta res silentium,
Scopus modò adsit, & modus:
Scopo quod exit aut modo,
Si non nocet, fructu caret.

Multum loqui, & quod expedit.
Decetque, multum differunt:
Assuesce paucis eloqui
Non quod lubet, sed quod iuvat.

Membrum insolens est, quod suo
Capiti minatur, aut nocet:
Est tale lingua libera;
Huic frenâ ne laxes, vide.

Linguae esse credis liberæ,
Infanda fari cum lubet?
Est illa verè libera,
Cui est silere liberum.

Infanda faris, ut lubet,
Licenter, at non liberè:
Cui libet quod non licet,
Nihil profatur liberè.

Est lingua falso libera,
Infanda cui fari libet:
Est lingua verè libera,
Silere cui fas est nefas.

Ne, turpe quod factu putes,
Id dictu honestum censeas.
Idem quod est homini loqui,
Hoc cogitare est Angelo.

Quod auris audax audiet,
Audebit & lingua eloqui:
Quod os loquetur impudens,
Audebit & pes, & manus.

Mâlis tacere quàm loqui
Quod non decet: disce in loco
Tacere, & in loco loqui.
Tutum est silenti præmium.

Haud ulla res silentio
Menti quietæ est aptior:
Meliora ni silentio
Loquaris, utiliùs files,

4. Sermonis & silentii
Æqualiter fucum fuge:
Loqui, & silere cum decet,
Tempus locusque præcipit.

Tempus locusque sapius
Suadent silere, quàm loqui:
Loquere tamen, silentio
Si fortè quid melius habes.

Vbi rem tenes, & exigit
Taciti loquelam caritas,
Accedet opportunus
Loquela, quàm silentium.

Mâlis, te ipsum ut audias,
Silere, quàm temere loqui:
Melior silentis est pudor,
Facunda quàm fiducia.

Suadebis absens, & filens:
 Præsentia facundiam
 Superabit eloquentiâ
 Absentia & silentium.

Et stultus, & sapiens parum
 Sapiens habetur, dum filet:
 Sepes videtur, aut toga
 Sapientia, silentium.

Vbi frons verecundi viri
 Videtur, auditur quoque:
 Loquitur tacens; solo docet
 Silentio modestia.

Si quem vel audis, vel vides,
 Qui te tacentem rideat,
 Lapidetve verbis, hunc suo
 Luge relictum præmio.

5. Homini DEUS linguam dedit,
 Ut pro necessitatibus
 Suis loquatur, & sui
 Auctoris ornet gloriam.

Considera quid cogites,
 Non quid loquaris: optima
 Sermonis apti regula
 Est recta cogitatio.

Arcus labella nexibus
 Sic junge, sic os obsera,
 Ne quid loquaris, quin prius
 Mens viderit, cui bono.

Ad verba non prius tibi
 Laxanda lingua, quam cui,
 Quid, quo loco, quo tempore
 Loquare, mente videris.

Nil audet extra dentium
 Proferre septum vir DEI,
 Quod non secundo & tertio
 Sit comprobatum examine.

Sursum, deorsum, & ad latus
 Vtrumque, quid dicas vide:
 Dicto frequenter fallitur,
 Ad pauca quisquis respicit.

Ad verba dum superflua
 Aperis licenter os tuum,
 Vitio recludis ostium,
 Hostique victam das manum.

Ori ostium fac & seram,
 Verbisque stateram & jugum:
 Etiam virum vinum facit
 Ineptias sapere, & loqui.

Morem loquendi inania
 Dedisce: stupam ferreus
 Lanamve pecten carminat;
 Tu verba pecte, & carmina.

Linguarium dabo alterum:
 Tua verba, sermones tuos,
 Lima intus antè corrigat,
 Quàm lingua protrudat foras.

Veracem ad incudem tuæ
 Effata linguæ fabrica:
 Graviter feretur, quod tuo
 Leviter ab ore eruperit.

Tuâ teneri non potest
 Projectus à manu lapis:
 Nec verba, quæ leviter semel
 Ab ore lapsa sunt tuo.

Lapsus

Lapsus loquelâ improvidâ,
 Agnosce: dic multâ tibi;
 Eamque, si rursus cadis,
 Abs te severus exige.

Temerè locuto non sat est
 Mox pœnitere: inania
 Petulantis oris verbera,
 Elementa stultitiæ puta.

Inepta lingua plurimis
 Originem dedit malis:
 Plerosque lingua subruit,
 Et funditus pessum dedit.

Linguam coërce: fabulis
 Frena otiosis injice:
 Inane quod verbum scias,
 Hoc labra nesciant tuâ.

Ne more stulti pectoris,
 Sermone lumen antei:
 Mens qualis intus, tu foras
 Effunde prudens talia.

Sit sermo simplex; in tuis
 Nil sit coactum gestibus;
 Mores honestet parvulo
 Dilecta IESU suavitas.

6. Parcè quidem linguâ utere;
 Sed dente quàm parcissime:
 Oris loquela simplicis
 Est moris index optimi.

Cui recta mens est, huic bonus
 Est sermo, sunt mores boni.
 Malæ aut bonæ mentis notas
 Ex more & ore collige.

Et sermo multus, & frequens,
 Sit quisque qualis, indicat.
 Quid eloquaris, prævide;
 Animi nota, est oratio.

Tu videris, quali velis
 Vulgò vocari nomine:
 Quo te vocare debeam,
 Mores & os dicent tuum.

Sile; vel aude proloqui
 Quod os verecundum decet:
 Si dicere audes quod libet,
 Quod non libebit, audies.

Quæ vera sunt, quæ sunt bona,
 Os aureum decet loqui:
 Si cor habes, cor aureum,
 Verbis loquæris aureis.

Faceta lingua melleis
 Pectus movet sermonibus;
 Sed os ineptè garruli
 Voces iniquas evomit.

Præter querelas, aut minas,
 Stulti loquela nil vomit:
 Sapientis ore, melleum
 Melos decenter profluit.

7. Non sunt simul loquacitas,
 Et pulchra virtus: nec tamen
 Linguam domabis, ingenium
 Nisi antè sis domitor tui.

Te quidquid abjungit DEO,
 Quamdiu libens non abjicis,
 Tamdiu manebis qui prius,
 Imaginosus, & loquax.

Assuesce

Affueſce nec raptim loqui,
Nec tardiùs : tractim decet,
Auditor ut te exaudiat,
Et ipſe te audias prior.

Modus eſto voci . Navita,
Bubulcus, & plebs inutilis,
Clamore diſtendant forum:
Te mens regit ? vocem rege.

Aliis moleſtus, & tibi,
Loquaciter trahis moras,
Et tempus incuſas breve;
At fermo longior fuit.

Multam loquelam ſapiùs
Cenſura multorum ferit:
Vix pœnitenda proferes,
Si dixeris pauciſſima.

Silenda quando non files,
Audifque non volens loquax,
Veniam precaris. Nil opus
Veniã eſſe cùm voles, tace.

Eſt prurienti res gravis
Silere, cùm lubet loqui:
Prudente ſed nullum bonum
Taciturnitate majus eſt.

Eſt multa prudens dicere
Semper potens ; ſapè impotens
Audire pauca ſtultus eſt:
Non hunc, ſed illum te gere.

Senſus modeſtos & graves
Levis loquela diſſipat:
Et ſtultus, & ſapiens loqui,
Sapiens tacere etiam poteſt.

Logos ituros longiùs
Silentio frena brevi ;
Valere pro ſapientiã
Stulti ſolet taciturnitas.

8. Si ſtulta multorum nimis,
Et multa ſtultorum eſt loqui;
In ore multus, ſtultus eſt;
In orbe ſtultus, multus eſt.

Si ſtulta multorum foret,
Ut multa ſtultorum cohors ;
Vellèſne multitudinem
Præferre ſolitudini ?

Si Chius adſit, haud ſinet
Cùm loqui: ut cygnus canat,
Tacere debet graculus.
An poſſit ? ipſe viderit.

9. Suspende iudicium, & file;
Fons & caput prudentiæ,
Silentium ; demifſio,
Intelligentiæ caput.

Satis quidem fac ; dicè parum ;
Neutrum nimis : platiſum fuge.
Prudentis & pudentiſ eſt,
Nil aut parum de ſe loqui.

De te ut loquaris, ſi locus,
Res, tempus, & ratio volunt;
Fiat modeſtè & ſobriè,
Et audientium bonum.

Multum loquens dicit parum ;
Multum ſilens dicit ſatis:
Labore cur multo parum ?
Labore nullo dic ſatis.

Operum

Operum ut bonorum copiâ
Ditêris & dites tuos,
Dic pauca ; multa perface:
Sunt verba verba ; opus est opus.

Sunt verba verba ; res opus:
Ut verba fiant res, bonis
Da facta pro verbis bona:
Prudentibus, facere est loqui.

Res jactitanti maximas
Non magna debetur fides:
Emptoribus venalium
Suspectus est nimius nitor.

Suspecta sæpè verba sunt ;
Factis libenter creditur:
Et quàm quis auribus negat,
Oculis habet suis fidem.

Ignava verba agilis manus,
Et muta vincit actio:
Vir nemo linguâ factus est;
Generosa facta dant virum.

Magni absque verbis sunt viri ;
Nemo absque vitâ magnus est:
Constans agentis est honor ;
Fluxa est loquentis gratia.

Facundè de verbi soles
Qui gloriari gratiâ,
Quando audiemus de rei
Te gloriari copiâ ?

Te, dicit auditor tuus
Habere verbi gratiam:
Te pauper optaret parens
Habere rerum copiam:

Re disce, non verbis loqui:
Sermone quidquid proferes,
Eo quod in facto micat,
Fiet loquendo obscurius.

Dictis abundant ceteri;
Factis silendo prævale:
Ab ore docto opus malum
Veniam, aut opem dubiam petat.

Os dicit elegantius,
Sed vita fructuosius:
Dixisse vix possit malè,
Vixisse qui possit bene.

Buccis tonantes spumeis
Ride Sophistas, & file:
Sunt bulla, plena somnii,
Sunt rauca nugis cymbala.

Tux disertus histrio
Iactator es dementiæ,
Quæ te tacente, forsitan
Poterat liquere nemini.

Sux disertus histrio
Iactator est infantia:
Poterit videri vir gravis,
Tacere si non sit grave.

Quò gloriaris pluribus
Linguis loqui, hòc tibi clarior
Videris: an crimen putes,
Nescire pœnam criminis?

Iactare palmas & caput,
Est mentis emotæ nota:
Verbosa gesticulatio
Te sobriæ mentis negat.

A a Inter

Inter loquendum, ne manus
Caputve strictim jactita:
Odiosa gesticulatio
Bona dicta vertit in mala.

Quando locutionibus,
Vacuus rei, pompam induis,
Fucumque vendis auribus;
Et verba perdis, & peris.

Quò dolium est inanius,
Hòc personat vehementius:
Sic & minore, quàm minor,
Fluit sono amnis grandior.

Noli invidere Rhetoris
Ineptientis gloriæ:
Est rebus apta seriis
Inepta mens ineptiis.

Noli invidere plausibus,
Subtilitate quos emit
Popularis orator novâ:
Laus vana finitur probro.

Popularis auræ aut gloriæ
Facundus emptor fallitur;
Deo que displicet magis,
Quàm vel sibi, aut plebi placet.

Tumidi loquela Rhetoris,
Est turgidi fragor maris:
Hic littus incalsum quatit,
Agrum feracem non rigat.

Cùm dicis id quod non decet;
Non robur aut potentiam
Ostendis eloquentiæ,
Sed oris impotentiam.

Diversa sunt, multum loqui,
Et eloqui quæ sciveris:
At scire si te jactites,
Inscitiam prodis tuam.

Indigna mente est sobriâ
Loquacitas, & temporis
Fur, & vorator, rabula:
Illam fuge, hunc etiam fuga.

Toties tibi turpe est idem
Ferire saxum: sæpius
Eadem vidêris dicere,
Linumque linonectere.

Solertia est doctæ parens
Facundiæ, cos ingenI;
Hac si carebis, languidâ
Turgebis eloquentiâ.

Alatus eloquio, vide
Ne mentis ala sit brevis:
Suos aves nidos amant,
Nec absque pennis evolant.

Effeminato convenit
Effeminata dictio:
Animum virilem mollior
Effeminat facundia.

Oblectat aurem dictio
Aperta, simplex & brevis:
Fucata, crispa, turgida
Exploditur fastidio.

Argutiora nec solent,
Nec laxitate languida,
Placere dicta; mediocri
Pascunt reducta circulo.

Te vera, te brevis decet,
Non bracteata dictio:
Crispata verba displicent;
Fucata fallunt, & nocent.

10. Longos Patres prisca logos,
Elumbe dicendi genus,
Sprevere: fat rerum graves
Longis quid indigent logis?

Conare Rhetor auribus
Placere multiverbio:
Mavult Poëta cordibus
Prodesse curtiverbio.

Si dicis hoc paucis meum
Placere curtiverbium:
Multis nec opto, nec vacat
Placere multiverbio.

Facundiæ pompam fuge;
Sit cara nuda veritas:
Simplex scapham, scapham voca,
Ficumque ficum nomina.

Tibi ligo credatur ligo,
Nugæque nugæ: falleris,
Si quàm fidem fallacibus
Oculis habes, menti negas.

Nostri frequenter nos amor
Excæcat: ô, si te vides,
Quàm sæpè dicēs; Est mei
Sermonis esca vanitas!

Tua sensa dum sententiis
Enuntias generalibus;
Erroris aut inscitæ
Non es procul periculo.

Ne jure te quis arguat,
Vitam foris tuam proba;
Sed & domi; certus mali
Linguam esse servi pessimam.

Iucunda vita inter pares,
Et mentis unius viros;
Quam non ligat necessitas
Sermonis aut silentii.

Comes difertus, commodus
Confabulator; ne viæ
Longæ laborem & tædium
Perinde sentias, facit.

Facunde, gratior itio
Tecum mihi est, quàm vectio:
Est singulare vehiculum,
Facundus in viâ comes.

11. Sermone gentis exteræ
Taxare defectus cave:
Gens omnis ut probro patet,
Sic laude non caret suâ.

Nil nationis exteræ
Strinxisse te mores juvet:
Tantum ferendis id valet,
Aut nutriendis litibus.

Peregrinus es? perage omnia,
Satagens nihil; nisi exigat
Necessitas, paucissimis,
Vel nemini officium placet.

Peregrine, te negotiis
Haud implica: hospitem decet
Moderatio, quam te potest
Docere peregrinatio.

Quo degis hospes in loco,
Illius ad legem tuos
Compone mores, quâ boni
Verique per leges licet.

Quis sit viator, unde, quò,
Ne sciscitare: ne neget,
Vel hæc rogantem injuriâ,
Vel jure te suo oderit.

Lingua garrula.

1. **N**E more plebis garrulæ,
Incerta rumorum feras,
Nec certa: nusquam sis malus
Rumoris auctor, nec bonus.

Seu vera fert rumor novus,
Seu falsa; sit certum tibi,
Habere suspensam fidem,
Dum certa tempus adferat.

I rumor, & quidquid levis,
Mendaxque fama venditat:
Est magna pars scientiæ,
Nescire velle talia.

Incerta certioribus
Caveto verbis eloqui:
Quæ certa scire te putes,
Sermone suspenso asserere.

Nisi certa certò noveris,
Et certa pro incertis habe:
Hæc profer, idem de quibus
Dicant libenter ceteri.

Quæ certa reris, asserere:
At vera ne profer tenax
Apud æstimantes frivola;
Vtrunque vitabis notam.

Rumor frequenter omnia
Majora vero nuntiat;
Nec semper à falso satis,
Cum vera dicit, abstinet.

Fama implet orbem fabulis,
Nugis meris, affaniis:
Eundo crescit; & levi
Tragœdias creat joco.

An rumor error, an magis
Sit erro rumor, ne ambigas:
Dic posse in uno sistere
Et causam & effectum loco.

Vulgò vagantis despice
Rumoris inconstantiam:
Est stultus, aut temerarius,
Qui præstat erronei fidem.

2. Indigna prudentum fide
Curare noli somnia:
Quod optat, aut sperat vigil
Mens ægra, per somnum videt.

Nil vana præter somnia
Homo somnolentus invenit:
Nam somnus haud res exhibet;
Sed spectra, quæ genuit, docet.

Fingunt amantes somnia,
Sibi que delusoria
Spe blandiuntur: quod cupis,
Expende; quod speras, vide.

Rem

Rem stultus auget somniis;
Fit somniando ditior,
Quàm qui peramplos aggeres
Argenti & auri possidet.

Nil spernat auris; nec tamen,
Quod audit, admittat statim:
Errare quem minimè putes,
Aut verba vendet, aut dabit.

Vt veritati non fatis
Tibi agnitæ semper locum
Vacuum relinquant, nec citò,
Nec omne crede, nec nihil.

Cunctare; cuncta nec putes
Credenda cunctis: si omnium:
Dictis tuam præbes fidem,
Das omnibus, negas tibi.

Homini homo fide; sed cui
Habeas fidem, prius vide:
Bona lingua, secreti tenax;
Mala & cavenda, prodiga.

De re loquenti, quam scias
Nescire te, nullam tibi
Habeas fidem: multò minùs
Habeat ut alter, exige.

Quæ scire te solum decet,
Loquacis auribus nega:
Quid moliaris, aut agas,
Nescire garrulum jube.

Tacitum manere quod voles,
Tu nemini ipse dixeris:
Silentium cui suadeas,
Tibi ipse quod non suaseris?

Arcana cum voles tua
Vulgare, crede feminæ:
Hoc omnis unum femina
Celare, quod nescit, potest.

Amica sit conjux licet,
Secreta nesciat tua:
Hæc una garritu levi
Audebit ambos perdere.

Fer garrulum: verbis probus
Haud vulneratur improbis.
Ut quæ placent exaudias,
Quæ displicent audi, & file.

Ne verba contra garrulum
Cumulare pergas: obtice;
Mox falsitatis præmia
Confusus in se sentiet.

Audire garrulus cave.
Quod auribus datur tuis,
Haurire noli, vel tege
Commisssa, qua par est fide.

Si verba secretò tibi
Commisssa gratis detegis,
Es garrulus; si spe lucri,
Iniquus: utrimque improbus.

Conviva vel prudens file,
Vel quid loquaris, selige;
Ne prima vel sub initia
Sit fera pœnitentia.

3. Non audeas dixerium,
Quod ferre nolis, spargere.
Si vis amari, fac ames:
Exemplum in auctorem redit.

Mores amici noveris ;
Non oderis, non carperis:
Aliena difficiles decet
Aures habere ad crimina.

Opus alienum quid notas ?
Refinge, & emenda tuum.
Sciendo, si nescis tibi
Prodesse, ne quidquam sapis.

Prudenter alieno in malo
Fugienda quæ sunt, aspice:
Alius error te monet,
Quâ regulâ emendes tuum.

Quando alterum incusas probri,
Ipsium intueri te decet:
Hanc opta habere memoriam,
Quæ te tui memorem facit.

Errabit ille rarius,
Leviusque, qui errorem cavet,
Timetque curva : tu viâ
Incede tutus regiâ.

Animi duplicitas.

Candor.

1. **M**endacium licet leve,
Ceu turpe devita malum,
Quod jure salvo proximi
Proferre vix umquam potes.

Mendacæ tetrius nihil,
Nihil eviratius viro:
Conatur hominem fallere,
Et posse se putat DEUM.

Nil ore pejus duplici ;
Nil fronte fictâ stultius :
Homini obsecundat, non DEO,
Quem nosse novit omnia.

Mendacium omnes dedecet ;
Sed principes fœdat viros,
Qui (quòd valent quantû volunt)
Cur mentiantur nil habent.

Fumi instar est mendacium:
Vtrumque ridet veritas,
Punitque : fumo dignus est
Perire fumi venditor.

Sis corde simplex, candidus,
Purus doli: periit suâ
Perillus arte ; sic suo
Doli artifex capitur dolo.

Me lædis incassum : tibi
Dat nullus auditor fidem.
Te laudo frustra: nec mihi
Dat ullus auditor fidem.

Candore, quo nil rarius,
In orbe quid carum minus?
Et fraude, quâ nil crebrius,
In orbe quid carum magis?

Candore si nil rarius,
Calumniâ nil crebrius;
Quis esse nostro judicet
Quæ rara cara sæculo ?

Frons rara cordis index:
Arcana cogitatûs,
Quæ cordis arca claudit,
Mortalis haud recludes.

Cur

Cur crebra ubique cogitant
Amor & fides divortia?
Vbique suspicax amor;
Vbique suspecta est fides.

Vinclo necessitudinis
Fides amorque necitur.
Si verè amas, fidelis es:
Non es fidelis? non amas.

2. Quam non habes pecuniam,
Te nemo dicit perdere:
Cur ergò quam fallis fidem,
Hanc perdidisse diceris?

Nisi integer tibi sit pudor,
Nec sancta constabit fides:
At si fidem perdas semel,
Quid perdere ulterius potes?

In posterum perdes nihil,
Si vel semel perdas fidem:
Sed hanc nequibus perdere
Alibi, nisi apud te cares.

Vt vita mortuo semel
Amissa, non revertitur;
Sic, quam semel violaveris,
Reparare non poteris fidem.

3. Candorem ama; fucum fuge:
Simulata non durant diu:
Qui fingit, & quod fingitur,
Ad indolem recidit suam.

Veri aut boni simulatio
Latere non potest diu:
Celantur astu crimina;
Sed illa tempus publicat.

Oris subæratî dolos,
Pictique larvam pectoris
Abominatur candidæ
Nitela mentis, & DEUS.

Æqui tenax, recti memor,
Abominare, cum DEO,
Linguam subæratam, & mala
Figmenta picti pectoris.

Vbi supercilium, dolus,
Simulatio, obrectatio,
Honoris ambitio vigent,
Ibi pius haud vives diu.

Vbi unitatis est amor,
Ibi invenitur veritas:
In æde concordi diu
Hærerè nescit falsitas.

Nec blefulæ, nec blandulæ
Confide linguæ: veritas
Simplex juvabit; fictio
Est fraudulenta oratio.

Tectos ut evites dolos,
Cor obstinatum, os blandulum,
Vncas manus, & natas domi
Opiniones, despice.

Ne cræde linguæ, quæ volens
Verax videri, quâ caret,
Mendacio captat fidem,
Vt quærat & fallat tuam.

Nil circulator callidus
Rerum bonarum ruminat;
Sed curiosioribus
Stultisque tendit retia.

Ver-

Verfutus an tibi consulat,
Negotietur an sibi,
Incertus es: saltem sibi,
Tibi consulendo, consulit.

Imitator eloquii boni
Cum sit malus, fit nequior:
Fictum fuge: est pejor malo,
Qui verba dat malus bona.

Verbi malus fictor boni,
Suâ est loquelâ nequior:
Tunc est malus plusquam malus,
Sermone dum fallit bono.

Plerumque lingua mollior
Melle illitum virus tegit;
Suumque secum blandula
Trahit venenum dictio.

Ne finge te servum mihi,
Tibi ut vicissim serviam:
Piscator escam callidus
Sic armat, & cœnam trahit.

Molesta ubique, & omnibus,
Odium parit verfutia:
Quis optet, ut degat propè
Cujus timet præsentiam?

Hostes tuum cela malum:
Perit suo indicio forex.
Piscem natam ne doce:
Ars prima mundi est, fallere.

Est turpe falli, & fallere:
Iusto pudendum fallere;
Fallique prudenti grave:
Nequeat hic; ille nec velit.

4. Virum decet vox candida,
Generosa, verax, libera:
Qui volvis ore mitia,
Amara corde, exesto d'hinc.

Simplex loquela sit tibi,
Aurisque simplex: insolens
Captator ambigui soni,
Malignus esse creditur.

Sint vox & auris simplices:
Nil suspicare, nil tege:
Duplices ab ore simplici
Malignitas captat sonos.

Nec ulla te simulatio,
Nec ulla dissimulatio
Benè deceat: te nullius
Fieri malum cogant mala.

Gaudere noli, quòd vides
Graviora quàm te & pluria
Alios habere crimina:
Quis te bonum pejor facit?

Cum te pium esse venditas,
Pietatis amittis decus:
Vbi se bonum fingit malus,
Bipedum est habendus pessimus.

Fraus est, boni simulatio;
Laus, nuda simplicitas boni:
Te digniorem, imò magis
Facilem, beatus elige.

Si plebis irrisum voles
Vitare, pelle te tuâ
Metire; nec quidquam audeas
Adscribere alterius tibi.

Cum

Cum fidus intus sis DEO,
Ostende te talem foris:
Meliora sectanti tibi,
Pudor pudoris sit tui.

5. Sicut libenter ad domos
Volant columbæ candidas;
Sic figit optatam DEUS
In corde sedem candido.

Si vis nocere nemini,
Sume indolem columbuli:
Tibi vis nocere neminem?
Serpentis ingenium indue.

Ama esse verax. Spiritus
Scientiæ fictum fugit.
Latebras abhorret veritas:
Sementis illi publica.

Est vita amoris, veritas;
Sermonis & facti, fides:
Tabes amoris, fucus est.
Ama absque fuce candidè.

Ignorat, arcet, & fugat
Germana fucum caritas:
Tibi candor, & placet Fides
Romana? damna Punicam.

Major dolore, spe, metu,
Simplex ama, atque nescius
Artis Pelasgæ vivere:
Serva vel hostibus fidem.

Ne mente componas dolos,
Minus reipsa: animalium
Cur rex leo? an palam quia
Sublime fronte cor gerit?

Nolis videri callidus:
Potius leonum esse elige
Generosa cauda, quàm caput,
Sed versipelle, vulpium.

Postremus inter simplices
Videri, & esse mavelis,
Quàm primus inter callidos
Satis, sed ignavos nimis.

6. Quid suspicentur æmuli,
Quid obstrepant, ne discute:
Dum pectus intus innocens,
Fraudisq̄ue sit purum tibi.

Si res bona invidiam parit,
Quis vitet invidiam bonus?
Virtus quia invidiam parit,
Vir sperat invidiam bonus.

Vix audeo vitam tibi
Optare longam, livide;
Aliena ne invitus bona
Videre cogaris diu.

Suâ malignus indole
Sic gaudet atque vescitur,
Nullius ut spe præmii
Amet esse, vel gratis, malus.

Qui membra discerpit sua,
Nec dat medelam vulneri,
Furere videtur: hoc agens,
Attende quàm stulte facis.

Oblata nescisti bona,
Aut parvipendisti invidus?
Carebis: & damnum tuæ
Disces, carendo, inscitia.

B b

7. Qui

7. Qui se minores despicit,
Vel invidet majoribus,
Laudisve vendit præmio
Sapientiam, nondum sapit.

Qui ferre stultum non potest;
Qui criminis nescit metum;
Suadere qui quod vult nequit,
Habétne? non habet fidem.

Promissio. Jusjurandum.

1. **P**romitte pauca sobriè:
Promissa factis exhibe;
Ne decoloret posteram
Inanitas verbi fidem.

Quæ fructuosa, quæ pia,
Quæ justa sunt, quæ te decent,
Promitte lentè; at in malis
Rescinde promissis fidem.

Iurasse si quid impiè
Torqueris, aut gemis memor,
Servare noli; sit malis
Obliqua promissis fides.

Exolve quod promiseris:
Benignus esto supplici:
Audi quod ad te pertinet:
Frenos voluptati injice.

Deceatne te promittere,
Prænosce: quod verbo semel
Promiseris, facto exhibe:
Opus fidem verbo facit.

Cor extrahit spes anxia,
Votoque longo gaudia
Consumit: id ne differas
Præstare, quod sponderis.

Promittis, & præstas nihil?
Gratis videris ludere,
Nullisque nummis: quando opus
Finis coronabit tuum?

Tibi lingua vocis prodiga:
Operis manus parcissima?
Fac, aut tace: mendacii
Te segnis arguit manus.

2. Quod oderis, ne feceris:
Nil turpe disce, nil age:
Sectare quod rectum vides.
A jurejurando abstine.

Iurare noli: habeat tuis,
Quisquis volet, verbis fidem.
Quod dicis, hoc audit DEUS:
Sit hoc abundè testium.

Candore vitæ fac tuis
Sermonibus ratam fidem:
Iurare nolenti favet
Virtus, favetque veritas.

DEUM negat, qui dejerat:
Iurare formida, & cave.
Quod dicis ut persuadeas,
Fac moribus dicto fidem.

Quod excidit linguâ, quasi
Iuratus ut serves vide:
Peragit reum se, qui, alteri
Quod jurat, haud jurat sibi.

Effata

Effata jurantis viri
Haud sperne: ne perjurii
Videaris ipse conscius,
Idemque contemptor DEI.

3. Amico amicus nil negat,
Quod esse gratum noverit:
Inimicus est, quem, quo scatet,
Negasse amico nil pudet.

Quod ipsa donet æquitas,
Ratioque dicit, id pete:
Iniquus aut stultus petat,
Quod justus aut prudens neget.

Ab altero ne postules,
Quod alteri nolis dare:
Nec alteri quidquam nega,
Quod postules ab altero.

Si ne gravis sis alteri
Vereris, haud eris gravis:
Si ne molestus sis times,
Eris molestus nemini.

Vt sis molestus nemini,
Nullum arbitrare remedium
Præsentius, quam si tibi
Oculos & aures eruas.

Gratitudo.

1. **P**ost munus acceptum cave
Ne consenescat gratia:
Da tempore, & loco, & modo,
Quo jam fuit datum tibi.

Beneficium beneficio
Pro viribus remunera:
Hoc fraude munus accipis,
Quod sponte nolis reddere.

Da: nomen ingrati fuge.
Te largiorem vel bonus
Laudabit; unà cum bonis
Culpabit ingratum malus.

Ingratus ut ne sis, libens
Impendiosus audias:
Vix laudet ingratum malus,
Impendiosum etiam bonus.

Donata digno munera
Virtutem honorant, non virum:
Hic factus à te ditior
Plures juvabit indigos.

Thesaurus est magnus, viro
Locata gratò gratia:
Res parva tempore & loco
Donata, habetur maxima.

Thesaurus est, tibi debita
A fido amico gratia:
Datum redibit, aut tuo
Vinctum triumphas munere.

Valenter ingratus tuis
Supera animum beneficiis:
Vretur, & victus tibi
Se tradet, & reddet tua.

Est tempus unum, reddere
Quod ne quidem gratus potest:
Perire quod potuit semel,
Iterum perire non potest.

B b 2

Be-

Beneficium beneficio
 Quòd addis, affectum doces:
 Me munere erudis novo,
 Docesque dando reddere.

A me tot officia exigis,
 Quot vix reponas: da semel
 Quod impetraſti ſepties,
 Miras habebò gratias.

Ne paſce, qui, cùm paveris,
 Te poſtmodum lanient canes.
 Gratum juva: nil tam perit,
 Quàm quidquid ingrato datur.

Ingratum amas? amas malum,
 Amas malorum peſſimum:
 Mala multa tellus, ſed viro
 Nil pejus ingrato tulit.

Hominis fuge ingrati domum,
 Cui quando feceris bene,
 Debere ne agnoſcat tibi,
 Accepta diſſimulat bona.

Ingratus uni, ingratus eſt
 Propè omnibus. Merebitur
 Secunda ferre munera,
 Ad prima qui gratus fuit.

Donetur ut majus tibi,
 Id redde quod potes minus:
 Ingratus unus, omnibus,
 Gratis licet, miſeris nocet.

Ingratus ille eſt, qui leves
 Grates agit ſine ſcœnore:
 Quid ille, qui acceptum gravi
 Bonum remunerat malo?

Heris, amicis, debitas
 Canis, leo, grates agunt:
 Ni gratus eſ; jure audies
 Leone pejor & cane.

2. Ne ſperne, quod munuſculum
 Vtramque non implet manum:
 Non mole debent munera,
 Sed æſtimari pondere.

Eſt, quidquid excellit, breve,
 Subtile, preſſum, pondere
 Quàm mole majus: multa quam
 Metitur ulna, res jacet.

Rotundior numquam fuit
 Minore major circulus.
 Vt fit venuſta ſcriptio,
 Figura mole plus facit.

Prudentia. Fortitudo.

1. **P**rudencia eſt idonei
 Rerum gerendarum modi,
 Locique, & apti temporis
 Scientia atque regula.

Sunt rara vitæ commoda,
 Prudentia atque ſanitas:
 Duobus iſtis nil homo
 Habet bonis pretioſius.

Prudentia atque ſanitas
 Duo rara ſunt vitæ bona:
 Hæc commodare ſi nequis,
 Indiſtriæ fructu cares.

Pruden-

Prudentia absque Numinis
Timore, nil operæ facit:
Prudens DEI vacuus metu,
Est absque malleo faber.

Quæ recta sunt, quæ sunt bona,
Sectare, longo ut tempore
Vivas, & æternis DEI
Fruaris æternum bonis.

Agnosce te, & tuum genus:
Nihil patrando turpiter,
Honestâ agendo strenuè,
Mortalis evades deus.

Fugienda quæ tibi sint mala,
Aut quæ sequenda sint bona,
Aliena vita, & omnium
Magister error te docet.

Est norma Recti, & Ordinis,
Se, quemque facere, quod decet:
Tibi tu vir esto; parvulis
Iucunda linque parvulis.

Honestâ quæ sunt, hæc tibi
Honestâ sunt; iusta sint,
Quæ iusta: te, non quod libet,
Sed quod licet, faciat virum.

Memnisse te potius decet,
Quid temporis ratio, & loci,
Et quid requirat dignitas
Rei DEI quæ, quam tua.

Id velle noli, quod virum
Haud velle cordatum putes.
Tutissimum, quod optimum;
Quod optimum, optatissimum.

Arare spe messis juvat:
At quod videtur utile,
Numquam à decore separa;
Iactura cedit in lucrum.

Honestâ si ante alios tibi
Persuaseris, disertus es
Orator, & prudentiæ
Non imperitus ordinis.

Res nulla, quantumvis bona,
Poterit beare te malum.
Mala fit malis res optima:
Honos bonis, onus est malis.

Haud differunt res plurimæ,
Quas usus, ars & artifex
Differre cogunt: bono
Et fine, & usu, fac bonas.

Bonum malum fit, tempore
Quod exhibetur non suo:
Et vina, quæ suo juvant,
Potata non suo, nocent.

Rerum bonarum non bono
Vsus malus fit pessimus.
Vino bono virum malum
Inebriari dedecet.

Aut justus, aut prudens nimis
Cave esse: justus es satis,
Si parva parvus eligis,
Prudensque summa si caves.

Extrema prudenter cave:
Mediis triumphâ: te fuge
Sublimiora, quæ cibum
Somnumque tranquillum negant.

Extrema vita : non minùs
Peccat supina incuria,
Quàm vana curiositas.
Parum & nimis virtus fugit.

Ad omne fortuitum bonum
Subsiste pavidus : negligè
Quidquid supervacuum labor
Invènit ad pompæ decus.

Cùm maximè serenus est
Sol, urit : est omni in viâ
Scrupo locus. tu cautior,
A fruge paleam separa.

2. Prudentiam mens appetat ;
Corpus labores perpeti
Adfuescat : illa ut imperet
Agenda ; & hoc, ut pareat.

Frenum voluntatis bonæ
Validissimum, prudentia:
Sed hæc, ubi ingenii vigor
Exundat, interdum exulat.

Vri aut abuti propriâ
Prudentiâ cave ad malum.
Amâ bonum : numquam bonus
Odisse gaudebit bonum.

Prudentiæ hujus sæculi
Ignota, inaccessible, ardua,
Piè, modestè, sobriè
Sapientibus sunt obvia.

Est sæculi prudentia
Ignara conscientiæ,
Animalis, audax, Numinis
Oblita, amantior sui.

3. Quod oderis, ne feceris:
Sectare quod tutum putas:
Vsu peritum consule:
Prudentis arbitrio utete.

Rei gerendæ regulam,
Tempus, modum, peritiam,
Prudentis è multo viri
Tutoque consilio para.

Prudentis ac probi viri
Præsente consilio utere:
Cui pœnitere displicet,
Nil absque consilio facit.

Quid agas, apud te cogita;
Deinde eruditos consule:
At, quod togæ paraveris,
Indusium fac nesciat.

Prudente consilium à viro
In rebus arctis accipe.
Res sacra consilium dare:
At solus hanc prudens habet.

Qui sæpè doctos, & suo
Vsu peritos consulit,
Sapit, sibi que comparat
Compendio prudentiam.

Prudentis auditor viri,
Iusti atque mansueti sequax,
Et temperantis æmulus,
Virtute pectus imbues.

Senile consilium cape:
In juniorum cœtibus
Nivem solutam non parum
Est subsecuturum luti.

Est

Est lubricum juvenilibus
Habere consiliis fidem:
Est tutior prudentiæ
Magister, ætas plurima.

Non quod decet, sed quod cupit
Juvenis puerve cogitat:
Quod stultè uterque diligit,
Amore commendat sibi.

Incertus ardor, & levis
Teneris in annis est fides:
Non quæ juvant, sed quæ micant,
Juvenilis ætas æstimat.

Cessare discendo time.
Vigili labore venditur
Sapientia; usu temporis
Adquiritur prudentia.

Si longus usus est senum,
Et usus artifices facit;
Mille inter imberbes, bonum
Censebis artificem senem.

4. Nil absque luce consill,
Et lance fac, dic, cogita:
Teneat habenas pectoris,
Linguæ & manûs, prudentia.

Agenda mente prævide:
Præscribe tempus, & modum:
Curaque, ne quid negligas,
Quod illa agendum suaserit.

Delibera: sapientia
Deliberando discitur.
Deliberanti quæ juvent,
Tuta est & utilis mora.

Nescis quod hodie, cras scies:
Eritque discipulus dies
Prioris: experientia
Sapientiozem te dabit.

Antiquiore calculo
Probata, succedentibus
Melioribus, peritior
Fastidio explodet dies.

Fert longa, quod quæris dies.
Lapidem vetustas deterit,
Editque ferrum: temporis
Vis nulla præstat viribus.

Sapientis est verbum vetus;
A nocte consilium cape:
Obscurius videt dies,
Et vana pro veris habet.

Solet esse stultivudus dies:
Noctu senatum convoca
In corde consiliarium;
Amat Minerva noctuam.

Amica nox prudentiæ:
A nocte consilium pete.
Subitæ rei decisio
Præceps cor in præceps agit.

Dilatione quod potes
Vitare, ne nimiâ cave
Cupidine invites malum:
Prudentiæ est tempus pater.

Te ditet ut prudentiâ,
Diem dat, & lucem DEUS:
Noctem dat, ut prudentiæ
Acumen ad tempus tegas.

5. Odiosa

5. Odiosa in omni re est mora ; Festina ; & incurres malum ;
Sed ipsa prudentes facit. Expecta : & evades : nimis
Est lenta consultatio Properata rarò prosperum
Velocitate tutior. Sortitur eventum actio.

Molesta res quidem mora ; Belli apparatus longior
Sed quæ parit prudentiam : Celerem facit victoriam :
Nil absque consilio geres, Velocioris consill
Sed proma consilii mora. Sequela, pœnitentia.

Damnosa præcipitatio ; Desideranti ardentius,
Damnosa semper est mora : Est ipsa celeritas mora :
Fructum feret maturitas, Omnisque festinatio
Et lenta festinatio. Avido videtur tardior.

Nil te repente lancinet : Est omnis hoste proximo
Assuesce prudenti moræ : Ignava festinatio :
Est consill pater dies, Belli quid eventum juvet,
Negotii helterni memor. In pace tutus prospice.

Cunctare : festinat fatis Licet virorum, ac virium
Qui non aberrat à viâ. Paratus ingens suppetat ;
Prænosce quod paras iter, Rei tamen magnæ ruunt
Itineris est pars maxima. Momenta puncto temporis.

Numquam tibi serum putes, Ignara providentiæ
Salubre quod jam noveris : Vis mole corrui suâ :
Celeriter efficies fatis, Expers potestas consill
Quidquid fatis facies benè. Animi tumore rumpitur.

Desideranti rem bonam Res sæpè parva in tempore,
Fit ipsa celeritas mora : Levisque conatus boni
Nam finit ille tardius, Plus attulit, præpostera
Qui in opere festinat nimis. Quàm machinarum vastitas.

Citò facta, nondum facta sunt : 6. Temerè nihil, timidè nihil ;
Pro semifactis hæc habe. Age cuncta lentè, fortiter :
Mora lenta consilii, citis Serò nihil, subitò nihil ;
Benè expeditur artibus. Age citò cuncta, suaviter.

Vbi

Vbi plurimum præceptis ages,
Ibi patiere plurimum:
Nec actione cum voles
Cessare, cessabis pati.

Audens ita esto, ut sis procul
Audaciâ: temerè, & citò
Audere magna, te notat
In magna lapsurum mala.

Prudens vir à temerariis
Abesse amat furoribus:
Vir fortis audet, panicis
Securus in tumultibus.

Nec ulla præceptis appetere;
Sed nec time pericula:
Virtutis invictæ virum
Furor pavorque dedecent.

Ne quid repente te occupet,
Id ante tempus occupa;
Et diligente eventuum
Ratione causas prospice.

Metire quid metuas mali,
Boni quid optes: omne opus,
Quod hac bilance æquaveris,
Lætus probabit exitus.

Vt est, ut esse potest queat,
Fieri res, quam suscipis,
Sic disputa, ne quidpiam
Dolere factum debeas.

Futura mente prævide:
Inexplicata mater est
Constantiæ prudentia,
Hostisque pœnitentiæ.

Faciet futuri provida
Mensura, ne quicquam velis
Nunc velle, cujus postea
Te pœnitere debeat.

Ex antè perspectis malis
Malum futurum prævide:
Semel reperta res mala,
Præsumitur numquam bona.

Vicina, seu distantia
Pericla disce noscere,
Et prævidere tempori:
Facile cavet, qui prævidet.

Futura sic pugnant mala,
Ut se tamen prudentiâ
Vitari & averti sinant,
Victori & herbam porrigant.

Prius vereri noveris,
Tum noveris tutò aggredi:
Intelligens periculi,
Periculum facile cavet.

Pericla si prænoveris,
Melius cavebis: aggredi
Temerè absque spe victoriæ,
Doctus vereri non solet.

Vix vincitur sine altero
Periculo periculum.
Aude ergo: qui timet omnia,
Vix est ut unquam se explicet.

Mens magna magna despicit;
Non ambit: eadem negligit
Mens parva; non audet: sed hæc
Est mens remissa, illa ardua.

Cc Vtrum.

Vtrumque si spectes opus,
 Quod mens remissa & ardua
 Vnâ explicant, credas pares;
 At fine distant impari.

Maris profundi vortices
 Ductor peritus effugit:
 Prudens malorum prævide;
 Et præcave pericula.

Bis, ter quaterve naufragus
 Haud jure Neptunum arguis:
 Tibi ille, quot discrimina
 Habeat mare, ostendit semel.

Ne dura te res occupet
 Recenter, hanc præoccupas:
 Haud accidet novum tibi,
 Quod mente feceris vetus.

Vbi deest sensus mali,
 Parum est mali: benè dormies,
 Vbi durioris lectuli
 Incommodum non senties.

Sæpè est mali nimius timor
 Majus malum, quàm quod times:
 Vix ulla pœna major est
 Timore, quo pœnam times.

Vbique, dum præsens times
 Periculum, vivis miser:
 Vbi esse vita non potest
 Iucunda, jucundum est mori.

Optare si mortem est malum,
 Timere mortem pejus est:
 Nam mortis, ex animo, timor
 Expectorat sapientiam.

Da, quando jam venit, suum
 Tempus dolori: nam malis
 Est de futuris anxius
 Ægerrimum, dolor, malum.

Miseranda res est, & propè
 Spontanea infelicitas,
 Mali, quod absit longiùs,
 Timore consenescere.

Meliora spera; pessima
 Fuge suspicari: sæpiùs
 Ad tristiora vergere
 Humana suspicio solet.

Si læva suspicio quatit
 Mentem, perisse te puta:
 Abs te tuisque dissitus,
 Nullo pedem figes loco.

Nullum sciens periculum,
 Nescire miseriam potes:
 Vtrumque si nescis, homo
 Beatus es, vel non homo.

Spes anxias citò exue;
 Hæ robur evocant viri:
 Æquè molestus optimæ
 Tortor quietis est timor.

TE NOSCE, ait Vates vetus,
 Vota haud fovebis pallida:
 Spem sæpè vanam, vaniùs
 Fundata lætat opinio.

Fulgente honoris aut lucri
 Spe; ne, labore lassâ mens
 Vitæ asperæ, spei novæ,
 Votoque velificet, cave.

Spes

Spes blanda sensu parvulos,
 Albasque mentes decipit:
 Res falsa adultos allicit,
 Vritque bis pueros senes.

Prudens cave quidquid mali
 Minantur astra: liber es.
 Ostende, quam sint libera
 Tui arbitratûs munia.

Felicibus, quam non habent,
 Adscribimus prudentiam;
 Quia sapius prudentibus
 Felicitas venit comes.

Cùm tempus, aut res suaferit,
 Ostende te stulto parem:
 Miræ est opus prudentiæ,
 Aptare stultitiam loco.

Aliquid supra mundum sapit,
 Qui se esse stultum intelligit:
 Quem cælitus docet DEUS,
 Hunc sæculo stultum facit.

7. Compone vultum: hunc indue
 Qui sit modestus, & tuus:
 Imitans patebis risui,
 Persona nec tua, nec tui.

Ne tristis aut hilaris stude
 Parère: sis vultu stato,
 Decente, maturo, tuo;
 Suumque relinque ceteris.

Torvum supercilium fuge:
 Vita cachinum: certior
 Proles honesti risus est
 Modestus. hîc regnet modus.

Os triste vita; ne ferox
 Videaris, aut severior:
 Sis cogitabundus licet,
 Crederis esse providus.

Prætervolans risus modum,
 Risu modesto aut lacrymis
 Exploditur: tu tristior
 Mâlis videri, quam levis.

Turpes cachinnos fletibus,
 Pulchrôve risu corrige.
 Gemitum levis risus parit,
 Mœror levat, levitas gravat.

Ridere non in tempore,
 Res stulta habetur aut mala:
 Lugere cùm ratio jubet,
 Est risus ingratus jocus.

Adversa quem res deprimit,
 Ne vellices dicto, cave:
 Et risus, & sal, & jocus
 Sunt calamitoso injuriæ.

Ridentis in sodalium
 Dolore falsus est amor:
 Lugentis inter gaudia
 Sodalium falsa est fides.

Offenditur risu miser:
 Et dicta casu, cui minùs
 Secunda res est, ad mali
 Quod cogitat speciem rapit.

Menti quietæ fit grave
 Intemperans jocus malum;
 Et re veretur in levi
 Graviora verba perdere.

C c 2

Risum

Spes

Risum coërce; iræ celer
 Sit finis; æstum comprime,
 Et otiosis arctius
 Frenum loquelis injice.

Labor. Ignavia.

1. **I**N omnibus Deus omnia
 Agit, & scit: haud eum latet,
 Quid homo agat, aut benè, aut
 Hoc rulina; vives benè. (malè.)

Ambagine & caligine
 Humanâ in omni veritas
 Tibi lux fit, & dux: hac duce
 Tenebras & errores cave.

Quamcumque rem facturus es,
 Volente, dic, faciam DEO:
 Ni feceris, facies minùs;
 Opusque succedet malè.

Tecum DEUS, tu cum DEO
 Operare: ut absque Numine
 Nil posse te, sic absque te
 Nil velle Numen censeas.

Matura Numen ad bonum
 Consulta finem dirigit:
 Conatus incumbit tibi;
 Committe successum DEO.

Donante largiter DEO,
 Nil livor adversum valet;
 Negante, vanus est labor:
 Te ditat ille, si favet.

Inanis omnis est labor,
 Si non juvet DEI manus:
 Frustrâ laborem sustines,
 Quem nec DEUS considerat.

Fac ipse quod possit manus,
 Vnâque Numen invoca:
 Est auris oranti DEUS;
 Sed est laboranti manus.

Quemcumque Numini placet
 Successum habere rem tuam,
 Lætare; gnarus à DEO
 Feliciter fieri omnia.

Vt pace cordis gaudeas,
 Cælique luce fulgeas,
 Fac omne quod probat DEUS,
 Et omne quod facit, proba.

Dominator omnium DEUS
 Hic actiones omnium,
 Sed gloriosas maximè,
 Regit, gubernat, perficit.

Vt sis labori congruo
 Onerique par, corpus fove:
 Opus & labor sit, ut DEO
 Mens & voluntas pareant.

Cœpti laboris venditur
 Constantiâ mentis quies:
 Vis promovere? te, miser,
 Metire, opemque Numinis.

Labore serva, quæ DEUS
 Primis dedit laboribus:
 Iactura magna est perdere,
 Quod rarus alter possidet.

Curas

Curas omitte inutiles;
Age fructuosa: luminis
Primæ secundus gratiæ
Fit prosper, hoc ductu, labor.

Ne luce sacrâ differas
Divina; differ cetera:
Rem jure posthabitam sibi
Æquus secundabit DEUS.

Suo saluti tempore
Missis stude negotiis:
Amore quod perdes DEI,
Magno resumes scœnore.

2. Facienda quæ sunt, hæc stude
Fiant ut aptè, & tempori.
Operare, & ora, cor tibi
Ut ignis instar ardeat.

Fieri quod usus postulat,
Fac tempori: quæ commodum
Oblata postponis, brevî
Sublata lugebis bona.

Quod sancta dicat caritas,
Age dum licet: præsentia
Quæ protrahendo negligis,
Fugitiva torquebunt bona.

Non quod tibi aptum noveris,
Ignaviâ elabi sinas:
Frontem capillatam gerit
Occasio, caluum occipit.

Dilatio est inertix
Ignaviæque filia:
Hodie quod instat, perfice;
Rem lucta perdet crastina.

Curis dies inanibus,
Mensesque, & annos cur teris?
An fortè, ne pereant, tua
Perire cogis tempora?

Qui cogitationibus
Inanibus tempus teris,
Volas sine alis, & levi
Turrim struis de pulvere.

Tempus futurum non habes:
Præsentè, quod fluit, cares.
Quàm falleris, qui te putas
Tempus terendo fallere!

Age quod agis: vitæ bona,
Aliud agenti, pars perit.
Esto quod audis: muneris
Te nomen admoneat tui.

Res actitanti serias
Angustiore volvitur
Gyro dies: quid agis piger,
Cui videtur nox brevis?

Fugis teipsum, & præteris,
Quando teipsum ne piis
Des occupationibus,
Has otiosus occupas.

Haud vivis, aut par mortuo
Vivis, boni cum nil agis:
Qui præterit vitæ datum
Tempus, seipsum præterit.

3. Prudenter & ritè incipe:
Ingens in omni re rei
Initia momentum ferunt:
Benè an malè hæc ponas, vide.

Opus inchoaturus bonum,
DEO potenti supplica,
Ut rem bonam cœptam benè
Bono secundet exitû.

Benè cœpta si vis profèqui,
Fausstoque fine claudere;
Rei sacræ inter sis frequens,
Matremque honora Virginem.

Benè incipe; è cœptis bonis
Finis sequetur optimus:
Hoc esse verum, certior
Rerum probabit exitus.

Finem bonum te suadeat
Sperare principium bonum;
Quale est, prece & laboribus
Exculta vitæ puritas.

Bonum inchoasti? perfice.
Meliora te in speciem vocant?
Ne dubia certis, ne nova
Ritè institutis præferas.

Res molientium novas,
Nova semper inchoantium,
Veteri relicto, sit tibi
Suspecta conversatio.

Opus inchoatum, dum vacat,
Vel ludibundus perfice:
Est vita itio, non sessio;
Labor inquietus, non quies.

Honestæ cœpta perfice:
Virtus ut augeat, stude.
Decursus humanæ viæ
Est in malum proclivior.

Videtur haud vitium leve
Ignava virtus. Rem bonam,
Et mente susceptam bonâ,
Generosiore perfice.

Ferventiùs ne subfili;
At ritè cœpta perfice:
Constare præstat, quàm bonum
Benè inchoatum scindere.

Quid inchoasse juverit
Quæ cœpta non peregeris?
Sudasse quid profit, nisi
Fructum laboris lêgeris?

4. Propone: non sola à DEO
Habet facultas præmium;
Habet & voluntas. COR DEUS
Et vota pro factis habet.

Opus tuum, atque operis bona
Spes læta præcedat scopum:
Obesse spes nequit bonis,
Prodesse cum possit malis.

Si nequiores spes juvat,
Te quando recta cogitas,
Sperare fas est: à malo
Spe, turpe sit, vinci bonum.

Sperare magna si lubet,
Cave ne tuâ spe sis minor:
Tuam labore spem juva,
Votoque firma supplice.

Speras quod optas: spe tuâ
Ne peior esto: quod cupis,
Accinctus adspira bonum;
Industriâ spem promove.

Nil

Nil esse linguâ strenuum,
Et languidum manu, juvat:
Nil tendere arcum, ni studes
Scopum sagittâ tangere.

Non quàm frequenter eminùs
Iaculère refert: quàm prope
Sagitta metam, vel semel
Emissa tangat, æstima.

Opificio cùm sis faber,
Quin perficis fabrilia?
Cœpisse quod pulchrum fuit
Perage opus, ut sit pulchrius.

5. Suda, labora: desidem
Aut morbus ambit, aut scelus:
Emitur labore sanitas;
Sudore venditur salus.

Mores alit malos quies
Diuturna: tu vigila, & cave
Ne magna vitæ portio
Somno teratur, aut joco.

Inertia est virtutibus
Inimica: pectus nobile
Ignava non decet quies:
Fugit laborem degener.

Acer vidêris & catus,
Sed es laboris insolens:
Vnâ Euris & Notus ruant,
Procella percellet caput.

6. Hunc velle qui non vult, idem
Hunc nolle qui vult, quis putet?
At verus est versus vetus;
Vult, & simul non vult piger.

Vult, quod tamen non vult, piger:
Dicto asserit, factò negat,
Longasque dum trahit moras,
Nolitne nescit, an velit.

Longas piger nectit moras:
Vult, annuit; non vult, negat:
Fugiente sensim tempore,
Fugiens laborem, se fugit.

Quod vult, idem non vult piger:
Friget, tepet, numquam calet.
Ignava cordis otia
Velut animi pestem cave.

Quod vis, potesque, suscipe:
Consulta volvis frivola,
Si quod sequendum videris,
Peragere nec vis, nec potes.

Sit vita continuus labor:
Mentis bonæ, ingenii probi,
Aerisque judicii viro
Cessatio est ignavia.

Hodierna cura; vive nunc:
Qui sola curat craftina,
Quem nunc habet, lapidat diem,
Perditque quem nondum tenet.

Certo alligata temporì
Mens, servit horis, & labat:
Stat liber animus; temporis
Heres est, & horis imperat.

7. Labore segnitiem doma,
Vitæque vita ignaviam:
Languente mente turpior
Corpus resolvit inertia.

Tinea

Tinea est, medullas ossium
Vrit, coquitque edacibus
Curis cor anxium: vigent
Soluta curis corpora.

Cura angit ut vehementior,
Ignava sic incuria
Cor solvit: haud omnem fuge
Curam, sed anxiam fuga.

Liber laboris & crucis,
Securitatis otium,
Securitatemque otii
Fuge angue pejus & cane.

Ne mente, linguâ, viribus
Potens, putrescas otio:
Captiva ne finas bona
Marcere inertis carcere.

Ne cura mentis sit minor
Quam corporis, vigil stude:
Labore & usu mens viget;
Lento senescit otio.

Labore te virum proba:
Per otiosam inertiam,
Præclara quamvis indoles,
Senium situmque contrahit.

Ferrum reconditum situs
Rubiginosus deterit:
Cave obsolescat plurimo
Ignava virtus otio.

Si blanda mentis in domum
Obrepat astu inertia;
Hæc, quidquid est in te viri,
Sibi mancipatum destruet.

Ferrum igne candens undique
Suam exuit rubiginem:
Cor caritate fulgidum
Torporis exuit gelu.

Mœroris ægritudinem
Animo dat atque corpori
Subducta vita in otio:
Socios laboris æstima.

Mortem, veterum inertiae
Fert ante mortem corpori,
Menti que, & agris: gloria
Laboris hanc fuga luem.

Terêdo ligna deterit,
Rubigo ferrum: nobilis
Vis mentis, & cordis vigor,
Languore marcent & situ.

8. Proles laboris otium
Gnavam redintegrat manum:
Parens laboris otium
Fatigat ignavam manum.

Labore virtus pascitur;
Divexat excordem labor:
Labor fit ignavo dolor;
Gnavo, dolor vix est labor.

Vult quisquis esse nucleum,
Oportet ut frangat nucem:
Metalla nobilissima
Telluris in gremio jacent.

Frustrâ otiano mollia
Reperire speras otia:
Qui dat sopori jus sui,
Dat Inertiae & Nemesi manum.
Vigil

Vigil animus longam brevi
 Labore pacem comparat:
 Cur pacis in sinu, piger,
 Vanum laborem fabricas?

Adversa magnanimum docent;
 Acuunt remissum prospera:
 Labor labore vincitur;
 Dolor dolore pellitur.

Quando labores anxios
 Alius horres; hoc time
 Majore cum discrimine,
 Ne plus laboris haurias.

Quod durus acquirit labor,
 Est dulce gnavis otium:
 Sed otio partus labor,
 Aures inertis vellicat.

Parcus laboris, ne tibi
 Rifura speres otia:
 Te calcar uret igneum,
 Inertiae proles, dolor.

Si victor esse ignaviae
 Virtute non vales; time,
 Ne, quod solet, curas levis
 Pariat graves incuria.

Fac otium in negotio,
 In otio negotium:
 Negotii plus, otio
 Qui nescit uti, fabricat.

Patiens laboris fit bonus,
 Paritque vitae commoda:
 Ama laborem, ut sis bonus,
 Et parta dispergas bona.

Peccare cessa. Deducet
 Turpis labor; decet quies:
 Quies laboris improbi
 Laboris est pulchri parens.

9. Quae profutura sunt age:
 Vita, quod ambiguum putas,
 Aut proximum errori, aut ubi
 Nullum est labori praemium.

Videtur arduus labor;
 Non est: quia assueto placet:
 Tibi placebit, cum scies
 Claudi laborem gaudio.

Ama laborem, si cupis
 Vitam beatam vivere:
 Felicitatis lauream
 Et sudor & labor dabunt.

10. Districta curis mens pia,
 Eadem soluta est. Quid pecus
 Ab homine laxo differat,
 Quies nisi esset inquires?

Hunc militem damnat Cato,
 Pugnando qui movet pedes,
 Et ambulans movet manus,
 Tubaque stertit clarius.

Haud ampla delicatior
 Trophaea miles eriges:
 Tibi robur & constantia
 Pretium labori par ferent.

Ligone spera strenuo
 Fructum laboris carpere:
 Manus remissae falx iners
 De rure vix umbram metet.

D d

Ager

am.
 Vigil

Ager subactus vomere
 Messem colono proferet:
 Tibi ingenl labor igneus
 Sapientiæ segetem dabit.

Apes laborem te docent:
 Formica, quid minus minor?
 Labore te docent brevi
 Longam quietem quærere.

Formica in hiemem pabulum
 Æstate colligit sibi:
 Lætis diebus hoc agé,
 Quod turbidos palcat dies.

Laboris expers vivere
 Formica nolit. Tu gigas
 Fuge otium: ni fugeris,
 Tibi otium fiet labor.

Labore surgat res tua:
 Vt magna res ignaviâ
 Fit nulla; sic solertiâ
 Res parva fiet maxima.

Obsonium optimum labor:
 Labor, magister artium,
 Virtutibus sternit viam:
 Labore cælum scanditur.

Fac otium ex negotio,
 Ex otio negotium:
 Quæ pulchra sunt, quæ bona,
 Superi labore venditant.

Laboribus bona omnia,
 Aut vendit aut donat DEUS:
 Sed anxios mortalium
 Pius labores adjuvat.

Qui pane vel pannis eget,
 Vix altiora cogitat:
 Operare, suda; ne tuo
 Hæc arma defint corpori.

Necessitati prospice,
 Rerumque honestis usibus:
 Natura quantillo indiget,
 Industrius dabit labor.

Contenta parvo vivere,
 Natura duxit initium:
 A lacte, paupertas tua
 Melioris est vitæ parens.

II. Rerum magister omnium
 Est usus, & dulcis labor:
 Est (quod canit Sapiens vetus)
 Exercitatio omnia.

Vt artis auctor usus est;
 Sic usus artis finis est,
 Et usus artifices facit:
 Est artis, ars operis, opus.

Vis mentis artem protulit;
 Ars crevit usu; constitit
 Vfus labore: heu, quot bona
 Ignava perdunt otia!

Quæ pulchra mundus continet,
 Laudatus hæc fecit labor:
 Crux est honesto ignavia;
 Sed est modesto laus, labor.

Solers repertrix artium
 Operosa paupertas, docet
 Multa experiri & discere,
 Quæ dives ignoret piger.

Nautæ,

Nautæ, coloni, militis
Vide labores: quid tuus
Videbitur labor? jocus.
Quid lectio, & stylus? quies.

12. Spontaneo atque libero
Labore dura mollies:
At mollia efficies tuâ
Molesta mollitudine.

Quæcumque non libens facis,
Mendosa, manca, incondita
Ut sint, necesse est: fac volens,
Quidquid voles factum benè.

Volens, libens age quod agis:
Laudis parum, meriti minus
Habet, quod invitus facis,
Timidus, piger, querulus, tuus.

Ignaviæ antè deditum,
Gnavum facit necessitas:
Oblata fecit strenuos,
Qui non erant, occasio.

Inusitata tristibus
Rebus venit solertia:
Doloris ingenium ratem,
Et venter esuriens facit.

Vrgente nil potentius
Necessitate: necessitas
Omnes suis, & omnia
Parere cogit legibus.

Fac spontè (fulmen est vetus
Severioris dogmatis)
Necesse quod facere est tibi:
Est namque cogi durius.

Ne quod velis factum id queas,
Vis major interdum vetat:
Ne, quod queas, factum velis,
Major voluntas imperat.

13. Benè alteri quod cesserit,
Frustrà invidabis: at tuo
Felicè conatu stude
Te digna ferre præmia.

Navum secutus es bonum?
Haud erubescas quòd piger
Te, vel malignus rideat:
Turpe est placere turpibus.

Vbi parata habet piger
Faventis auræ præmia;
Peccare ibi censebitur,
Qui strenuè & rectè facit.

Opus cuivis obvium,
Facile tibi, nihili facis:
Etiàmne spernis ingenium
Aciem quod excedit tui?

Negotiorum qui omnium
Te fecit expertem DEUS,
Sic liberum, in turbis vetat
Negotiorum stertere.

Opus, quod ad rem nil facit,
Erras quòd appellas opus:
Hoc, otium, vel mitius
Opus otiosum nomina.

14. O quisquis ignavo, piger,
Vivis sepultus otio,
Aut pinguis otii satur,
Curis vacas inanibus;

Dd 2

Quâ

Quâ fronte speras cælites
Inter frui perennibus
Vitæ beatæ gaudiis,
Quæ sunt laborum præmia?

Horrefcis arctum segnior
Inire callem; qui tamen
Te solus ad culmen potest
Felicitationis ducere.

Oculos dolosa vilium
Figura rerum decipit,
Mentisq̄ue lucem fascinat
Ferax doloris gaudium.

Hinc per caduca diffluens,
Famæq̄ue fumo turgidus,
Frustrâ obtinere niteris
Summam per ima gloriam.

Vigilantibus, constantibus,
Laboriosis, strenuis
Benigna providentia
Indulget altum stertere.

15. Minuit laborem æternitas,
Et amplitudo præmii,
Pugilumq̄ue numerus plurium,
Qui viribus longè impares.

Momenta fluxi temporis;
In spe & labore transige:
Sperata mansuram tibi
Æternitas pacem dabit.

Quid actitamus temporis
Præterfluentis gratiâ?
Quid pingimus? nos vult DEUS
Æternitati pingere.

Lege, scribe, canta, vel geme,
Sile, precare, sustine
Adversa; læta æternitas
Labore digna est temporis.

Fuge otiosus otium;
Ora, labora, cogita;
Sacros revolve codices;
Lege, scribe, dæmonem fuga.

Malè destinata corrige;
Benè instituta dirige:
Nec hora cordis duplicis
Te deprehendat craftina.

Es vanus & superfluus,
Si gloriæ studes tuæ:
Es otiosus, si DEI
Studere cessas gloriæ.

Fuge æmulari, quos agit
Angitq̄ue cura nominis:
Est cordis in freno salus,
Discrimen in calcaribus.

Legenda ineptus scribere,
Facta & legenda fac, lege:
Aptus legenda scribere,
Ni feceris, cui scripseris?

Cur verba, cum sint viva vox,
Et scriptio vox mortua,
Vix verba vivunt, mox cadunt?
Vivit, perennat scriptio.

Sperata non te fascinet
A scriptione gloria:
Cupido laudis indiget
Freno, flagello non eget.

Papyrus

Papyrus omnis luditur,
 Omnisque luditur stylus,
 Præire qui nescit bonis
 Rectæ actionis usibus.

Opus bonum sequitur bonus
 Operarius : sequitur malum
 Opus operarium malum:
 Operi malo præis ? peris.

16. Te quando perturbat tui
 Inertia impatiens statûs,
 Artes honestas explica,
 DEIque subde gloriæ.

Tibi labor, laus alteri?
 Quod feminas alter metit?
 Perfer : DEO sub iudice
 Post fata centuplum metes.

17. Sic te labore roboras,
 Vt sanitati consulas:
 Cessabis ergò dum novo
 Adhuc labori sufficis?

Agere unus optas omnia?
 Feliciter perages nihil.
 Fac unus unam rem unicè,
 Permitte plura pluribus.

Turpe ocreas capiti dare,
 Suræ galerum : quod tuo
 Negotium quadrat pedi,
 Quadrare ne credas meo.

Parata cuncta sunt tuæ
 Parère diligentia:
 At munus istud elige,
 Quo ritè perfungi queas.

18. Est unus omnium optimus
 Vfus magister : tu rei
 Addictus uni, unam stude
 Ornare ; habebis quod voles.

Majora noli viribus
 Tentare ; susceptæ citò
 Ne pondus aut moles rei
 Tentata cogat linquere.

Labore fesso, ne novi
 Laboris adde sarcinam:
 Veterem laborem, sed novus
 Sedavit interdum labor.

Paritatis ut fastidium
 Vbique vites, feriis
 Iucunda misce, per vices,
 Et profutura dulcibus.

Varia rei fit multiplex
 Vicissitudo gratior :
 Sed longioris gaudii
 Caudam ferit fastidium.

Quod agere pertendis diu,
 Agere aliquando desine:
 Misce jocosa feriis,
 Loco decora, & tempori.

Adjunge lusus feriis,
 Locisque misce seria:
 Abit soluta mens jocis,
 Redit refecta feriis.

Permitte menti ludere;
 Ad cogitandum seria,
 Melior redibit : tensior
 Arcus rigore rumpitur.

D d 3

Ener-

Enervat arcum intentio;
Animum frequens remissio:
Annosa neglecto diu
Innascitur filix agro.

Nervo rigoris plurimo
Lentescit aut hebet animus:
Permitte lassio liberas
Semel per auras ludere.

Honesta duro gaudia
Miscere labori: fit breve
Per otium levis labor.
Quod stringit, haud durat diu.

Languentis æstum pectoris,
Lassique curas ingenI,
Fidibus canoris, aut novi
Viore laxa luminis.

Docti laboris tædia
Amoenus hortuli viror,
Aut laxa ruris area,
Aut pulsa depellat fides.

Vrgente (sic aiunt) prece
Virus fugatur aëris:
Detergitur mens nubila,
Et expolitur carmine.

Apertus hortus undique
Tapete ridet herbido,
Vbi arbores inter strepit
Modulus canorus alitum.

Amat ingenI igneus vigor
Auras patentes; silvulis
Et rure gaudet; urbico
Claudi recusat carcere.

Olli voluptas, fiderum
Spectare fulgidos globos;
Spretisque terris, igneæ
Fabrum stupere machinæ.

Si, post labores, liberi
Te laxitas cæli vocat;
Vt te revisas cum lubet,
Tibi exeunti sis comes.

19. Virtus laborem diligit;
Labor meretur gaudium:
Quas improbus vires labor
Prostravit, has reparat quies.

Fit post laborem dulcior
Et gratior gnavo quies:
Est cordis ignavi quies,
Pus & venenum temporis.

Si somnus est mors, mors item
Si somnus, hęc ages minus,
Vivesque, quod plus dormies:
Vigila diu, ut vivas diu.

Durare non potest labor,
Quem nulla solatur quies:
Sic post laborem fit quies,
Vt post quietem fit labor.

Est sensuum somnus quies;
Somno domatur ultimum
Fames malum: somno vigor
Et corporis salus inest.

Martem Cupido subjugat;
Cupidinem sedat fames;
Famem, dolorum maximum
Oblivio & somnus domant.

Captu-

Capture somnos, spem, metum,
Onusque curarum grave,
Animi tyrannos, proue:
Haud iussa cras surget cohors.

Sacras amanti literas,
Deoque per preces loqui,
Dormisse sex horas fat est:
Invitus adde septimam.

Doctrina. Studium.

I. **Q**uantum ruentis temporis
Rapis sinu, studio adjice:
Est turpe desidia diem
Noctemque somno perdere.

Age, lege, scribe, dum vacat,
Diffide fluxo tempori:
Periere, qui nuper tibi,
Revocabis incassum dies.

Nulla absque lineâ dies:
Operare, desidiam cave:
Exosa nuper otia
Amare nunc vetet pudor.

Hodierna quam lux lineam
Duxit, propaget craftina:
Hesternæ cessavit dies?
Hodierna damnum farciat.

Honore vitæ indignus est,
Qui cum potest, discit nihil.
Est vita mors sine literis:
Has discite, ne sis mortuus.

Pigri cave commercium.
Est vita mors sine literis:
Ars longa, vita perbrevis;
Apta omnis ætas discere.

Doctrina & eruditio
Sic appetenda, ut tuam
Doctrina conscientiam,
Vitam regat scientia.

Ne curiosè frivola
Sectare: quod non est opus,
Est asse carum: eme pretio
Quod est opus vilissimo.

Virtutis & scientiæ
Conjunge studia. Audi, vide,
Lege, scribe, dic, recogita,
Malo resiste, fac bonum.

Hoc discite, quid sit vivere:
Hoc discite, quid non vivere:
Est omnium rarissima
Doctrina, SCIRE VIVERE.

Nescire CHRISTUM, est omnia
Nescire. Si hunc unum scias,
Immensa nescias licet,
Scies in hoc uno omnia.

Qui, quæ sit ad cælum Via,
Quid Veritas, quid Vita sit,
Ignorat, ignorat DEUM;
Ignorat omnia; scit nihil.

Ex unico verbo omnia
Vnum loquuntur omnia:
Hoc absque nil intelligis;
Hoc absque cæcè judicas.

2. Conare

2. Conare tutè quod potes;
Viresque pende, & indolem:
Ad artis elegantias
Natura dux est optima.

Amplum vehit sapientia
Patrimonium : sapiens opes,
Quibus est opus, sensim parat;
Stultus paratas dissipat.

Doctrina honori est omnibus,
Vel agrestibus: sed quod vident,
Illiterati non vident.
Stude ; videbis quod vides.

Acutiùs duplo videt
Vir literatus : cælitùs
Sed erudito, nec tamen
Illiterato, est oculus triplex.

Vir doctus & pius suas
Vbique circumfert opes:
Cælestis eripi suo
Doctrina non potest hero.

Vt cuncta tecum sint tua,
Fac doctus ut sis: qui sapit,
In se suas opes habet;
Periclitantur cetera.

Vt sortis & martis vices
Rapiant edantque cetera;
Ars, centuplo pretiosior
Comitabitur possessio.

Imago mortis est senex
Ineruditus. Vivere
Optas senex ? mentem puer
Bonis adorna literis.

Discenda disce, dum tua
Iuventa ver agit suum;
Mentis perennabunt opes:
Quod otium carpit, perit.

Hic mentis à teneris tenor,
Eademque semper frons tibi;
Virtutis & bonæ indolis,
Geniique vim palam facit.

Mens recta, mens cote artium
Polita, amans veri & boni,
Quod pollicetur, hoc habet,
Dabitque: quid ? gemmam viri.

Es in bonis & plurimis
Benè institutus literis ?
Tot literas doctum caput
Sanctis corona moribus.

Virtutis est exordium,
Quæ nescias bona discere :
Mores morari in te, bona
Doctrina non finet feros.

Honestæ res est discere;
Etiam seni: tu, vel rudis,
Artes ama, quæ ab optimis
Plus æstimantur mentibus.

Qui literas discit senex,
Arenulas stylo terit:
Qui literas discit puer,
Hic cælat in lapide, & sapit.

Bonos tibi è variè bonis
Excude mores moribus;
Varieque ab ingeniis bonis
Bonum tibi ingenium para.

Si viribus corpus valet,
Animi adde robur : nomine
Constantis aut fortis viri
Indignus est, qui non sapit.

Corpus carens sapientiâ
Domus est carens fundamine:
Hoc tota nititur domus;
Corpus regit sapientia.

Ratione nobilius nihil ;
Nil fanitate optatius:
Hæc corpus animat ; illius
Lex,ordo,lux animam animant.

3. Virtus docetur ; anteit
Doctrina : & abste se negat
Virtus amari, ni prius
Ametur eruditio.

Vbi fordet eruditio,
Ibi rara virtus : inchoat
Doctrina ; virtus perficit:
Eadem docetur, & docet.

Pietatis est expers, homo
Rerum imperitus omnium:
Pietas ut adsit, expedit
Ut adsit & scientia.

Vt Magdalenzæ suaviter
Martham marites, antea
Humanioribus bonos
Mores marita literis.

Facit, vocatque literas
Humaniores caritas:
Tu caritate si cares,
Ama carere literis.

In literis si promotes,
Nec optimis unâ studes
Ornare mentem moribus,
Es cancer, & retrò moves.

4. Vitæ licet magnum tuæ
Scias decus scientiam,
Scito esse posse, si malè
Utare, probrum maximum.

Furente cuius in manu
Vibratur ensis, haud puta
Distare te, si doctus es,
Simulque vivis improbè.

Bonitatis & modestiæ,
Et disciplinæ nescia
Doctrina, non scientia est,
Sed callida ignorantia

Dedisce multa, quæ nihil
Didicisse nuper profuit:
Edisce plura, quæ magis
Didicisse quondam proderit.

Dedisce, quæ tandem tuo
Didicisse nunc vides malo:
Et disce, quæ quondam tuo
Didicisse te dicas bono.

Dedisce, quæ antè noxia
Didicisse discipulo dolet:
Et disce, quæ salubria
Didicisse demum gaudeas.

5. Studii fuit parens Amor;
Amoris est Studii pater :
Generationis mutæ
Cor erudi frequentia.

E e

E li-

E literis rem collige ;
Rem dico, non imaginem ;
Non vanitatem gloriæ,
Sed veritatis gloriam.

Ardentiore define
Captare doctrinam siti:
Divinioris luminis
Radios cupido submovet.

Docti cupido nominis,
Et vana curiositas,
Te, scire multa dum studes,
Spoliant DEI scientiã.

Hoc scire sit fatis tibi,
Quod scire nil ultrà datur:
Captare quod nequeat capi,
Sitim bibendo est gignere.

Nec spernat auris omnia,
Nec credat auris omnibus:
Nescire proderit tibi,
Quæ scire juvit neminem.

Aliena scire si tibi.
Est suave, nesciri grave ;
Tam pulchra (nescius tui)
Quàm digna scitu nescies.

Nil esse crede inanius,
Quàm velle scire inania:
Omitte quæ nil conferunt:
Cibum para, qui non perit.

Honesta disce sobriè :
Est magna pars sapientiæ,
Nescire velle quæ ad tuum
Nil aut parum faciunt scopum.

Te scire nil juvet magis,
Quàm quo tibi scito est opus ;
Quod aut saluti conferat,
Aut sanctitatis cultui.

Tibi cura mentis sit prior:
In re salutis stertere,
Erroris est, imò evidens
Stuporis indicium tui.

Doctrina quærenda est quidem,
Sed antè vita: hæc gratiam
Habet sine illâ: hac si cares,
Illâ carere dignus es.

Doctrina quid te plurima
Virtutis expertem juvat?
Bona quære ; vera define
Curâ inquietâ quærere.

Rebus studentî inanimis
Opera oleumque perditur.
Speciosa mitte ; res age,
Quæ vitæ ad usum conferunt.

DEI voluntas te regat:
Hac absque vitæ regulâ,
Est omnis eruditio
Levis umbra, pulvis, somnium.

Cælestis orba flaminis
Et lucis eruditio,
Est hortus absque floribus,
Est arbor absque fructibus.

Lux eruditi pectoris,
Et ingenî solertia
Quibus adfuit, quid profuit,
Cum spiritûs Sol defuit ?

Nil

Nil esse mâlis, quàm DEO
Et corde teste, vir bonus,
Tibi reliqua eruditio
Et obvia & facilis erit.

Cur læva cor hominis sapit?
In parte cor lævâ salit:
Sapientiæ ut sis particeps,
Dextrum cor, & rectum pete.

6. Si plus sapis faciens minùs,
Stabili cares sapientiâ:
Stabilem tenes sapientiam,
Sapiens minùs, si plus facis.

Nescire mâlis plurima,
Quàm scire cum periculo:
Non, multa qui scit, hic sapit;
Sed fructuosa qui facit.

Frequentiùs nocuit bonum
Scivisse, quod neglexeris;
Fecisse, cunctis profuit;
Dixisse tantùm, nemini.

Facienda scire si fugis,
Facere recusas: si agnita
Opere exhibere negligis,
Hæc velle scire te negas.

Et eruditos, & bonos
Laudare, te quidem decet;
Sed æmulari, est millies
Melius, DEOQUE dignius.

Nonnulla scire etiam velis,
Quæ scire te nemo sciat,
Cælo theatrum, non tibi,
Mortaliùm nec plausibus.

Vt missæ oves in pascua
Non gloriantur plurimo
Se ritè pastas gramine,
Sed vellus & lac offerunt:

Ita sapiens haud prædicat
Sudore quanto doctior,
Prudentiorque evaserit:
Silentio & vitâ probat.

Doctrina placeat; sed vide
Ne tu tibi. Silentio
Audire, & esse mâvelis
Sapientior, quàm doctior.

Quæ didiceris bona & benè,
Nescire te priùs putes,
Quàm feceris quæ didiceris,
Et tacueris quæ feceris.

Qui tanta nescis, quòd leve
Te scire reris, jactitas:
Tibi tutiùs silentio
Brevis supellex cresceret.

7. Doctrina pectus erudit,
Animum domat, mentem regit,
Tacitè inserit modestiam;
Quâ quisquis es vacuus, ruis.

Modestiam, rem maximam
Et optimam, sapientia
Promittit, ut propiùs tibi
Te reddat, à quo nunc abes.

Habere quid pectus juvat,
Et os disertum? quid manum
Stylo elegante nobilem,
Modestiam si non habes?

E e z

Non

Non sic nitentis coccinum
Pannum togæ spurcat lutum,
Vt eruditas literas
Mores superbi polluunt.

Sapientia inflat ; caritas
Virtutis ædificat domum ;
Scientiæ tumor, DE I
Dilectione ponitur.

8. Vt mente constes, turgidos
Titulos abhorre ; simplici
Gaude vocari nomine :
Magister unus CHRISTUS est.

Nomen Magistri ne ambias ;
Nec si offeratur, æstima :
Huic sæpè fastus it comes,
Et proximi contemptio.

Te fac simillimum DEO ;
Et altiore sæculum
Calcare disce spiritu,
Sterilesque ride laureas .

Scientiarum laureas
Cupidè ante canos anxie
Ambire, mentis est piæ
Lucem atque pacem perdere.

Lites locorum dignitas
Ne gignat : etsi maximus,
Priora cede : sic enim
Secundus ipse eris tibi.

Attende quid sis ; publicè
Quid æstimere, incurius :
Frustrà velis bonus foris
Parère, si intus es malus.

Age intus ut sis, qui foris
Voles haberi : quod benè
Sperabis abs te publicè
Audire factum, fac domi.

Haud miror esse te bonum,
Vbi esse talem nil vetat :
Mirabor esse te bonum,
Vbi esse suadèris malus.

Aliis quidem, haud soli tibi
Videare sapere, nec tuis :
Aut vive solis in locis,
Tibi beatus in tuis.

Si scire te quidquam putas,
Scientiæ nescis modum :
Qui scire sese aliquid putat,
Modum sciendi non habet.

Est, quòd scientem te putas,
Inscitiæ specimèn tuæ :
Scire inchoabis omnia,
Nescire cùm te noveris.

Te quando nescis, ne putes
Te scire quidquam : plurimum
Gnarus, sed ignarus tui,
Te crede nescire omnia.

Se nec tuus videt oculus,
Nec se intuetur mens tua :
Quâ fronte quid sis, quid scias,
Fidenter ausis dicere ?

Oculis carent oculi tui,
Quibus videre se queant :
Quâ mente se possit tua
Videre mens, quam non habet?

Si

Si mens, tui pars maxima,
Quid sit, sciátve, nesciat;
Quid ipse sis, aut quid scias,
Dic sciscitanti, Nescio.

Tamquam tabella nobilis,
Iurísve marmor publici,
Vbique notus omnibus,
Cur vivis ignotus tibi?

Vt multa multi sciverint;
Haud ullus est ulli tamen
Homo repertus, qui probè
Se scire sciret omnia.

Quæ trita jam dudum viris
Sunt eruditioribus,
Tu vix recepta primulùm
Ceumira jactas, & nova.

Cùm scire me verum neges,
Cur non mihi per te licet
Dubitare? non dubitatio
Est error, aut opinio.

Cur multa multi nesciunt,
Creduntque multa plurimi?
Ne credat unus omnia,
Scire omnia omnes ambiunt.

An ille vivit lætior,
Qui nil scit, aut scit omnia;
Quàm qui laborat ut sciat,
Aut qui scit ut crescat labor?

Non unus aliquis omnia
Est scire natus: præmium
Alii aliud posuit Deus:
Tu munus exorna tuum.

Crassum sit ingenium licet,
Vacuumque judicium tibi,
Et mens podagrâ tardior,
Animusque lentus ad bonum;

Plus tot malis, unum malum,
Cæci vapores displicent,
Temerarii qui se ingerunt,
Onerant, gravât, premunt, ruunt.

Amœnioris ingenii
Est pignus, os affabile:
Sed indolis, frons aspera
Est belluinæ tessera.

Omnes ad unum stipites,
Bardi, imperiti antiquitus
Fuere præter te unicum.
Scis istud unum? scis nihil:

Nam scire quisquis se asserit,
Errasse præ se ceteros;
Quod scire se unum jactitat,
Nec esse, nec sciri potest.

9. Pictor, Poëta, hominum genus
Solet esse quàm liberrimum:
Vbi sæpè plus est ingenii,
Ibi plus abest sapientiæ.

Mansura maturant diu:
Argutus astus pueruli
Properè explicatus, indicat
Fore fatuum, aut segnem senem.

Odiosa semper omnibus
Præcox fuit prudentia:
Argutior pueritia
Portendit insanum senem.

Ne gloriare, quòd puer
Vegetus es : ante debitæ
Maturitatis tempora
Fies vietus & putris.

Acidissimum fit optimo
De vino acētum : tu vide
Ne quantò es ingeniosior,
Tantò inde sis mordacior.

Quid ista præcox spiritûs
Vivacitas ? quid insolens
Portendit hæc vis ingenî ?
Extrema: quæ ? spem, vel metum.

Audacis ingenii calor,
Et laxior licentia,
Rei frequenter publicæ
In maximum cessit malum.

Haud maxima ingenia magis
Miranda, quàm timenda sunt:
Inesse quædam talibus
Mistura stultitiæ solet.

Quod maximû ingenium vocât,
Putat esse desultorium,
Evanidum, volaticum,
Et semper ad motum leve.

Subtilitatum pravitas
Medio ciet tenebras die ;
Facitque nigra candida,
Vt hæc in illa transmigrant.

10. Tumultuantis ingenî
Nolens agêris turbine,
Nisi antè frenos injicis,
Quàm calcar imprimat tibi.

Te flexuosa acuminum,
Lepidaque lexes occupant,
Rebus relictis ? ah ! nimis
Laboriosè nil agis.

Iuvenilis audax ingenî
Retunde acumen : Numinî
Submitte mentem : sensui
Dictoquæ cede plurium.

Majorum opinionibus,
Et plurium sententiæ
Animo libenti cedere,
Mentis character est bonæ.

Nil, absque mentis intimâ
Demissione, de DEO,
DEIque rebus audeas
Tractare, scribere, aut loqui.

Fortuna, Casus, quid nisi
Inanium sunt nominum
Strepitus inanis ? at DEI
Vacuum nihil, nil corporis.

Medullitûs fixum tene,
Mortalium moliminum
Nil à DEO non dirigi,
Nil à DEO non perfici.

Animo ratum fixumque habe,
Ab optimo fieri nihil
Quod non idem sit optimum.
Secus arbitraris ? cæcus es.

Te quando vicinum tibi
Oculo levi prætervolas,
Quæ sunt procul, cur ingenî
Subtilis alâ pervolas ?

Vocabulorum argutiis,
Et immodesto acumini
Impinge Fidei vincula,
Crucisque nocte compedes.

Vis, quanta sanctitudinis
Sit latitudo, discere?
Sapienter ad motâ manu
Digitis tribus frontem preme.

Sit cautio prima, ultima,
Ne credulus nimum tuis
Imaginationibus,
Infleris arrogantia.

11. Inane studium, pertinax:
Caligo mentis, & labor
Erroris, & vanissima
Ne vanitas fallat, cave.

Avidum sciendi pectoris
Moderamen, & frigus juvat:
Nescire quod turpe est seni,
Iuveni est honestum discere.

Procul relega frigidum
Acuminis pravi gelu;
Sed veritatis igneis
Cor admove fulgoribus.

Certamen & litem fuge:
Tranquillitate certior
Doctrina gaudet; perditur
Contentione veritas.

Vim veritatis excutit
Modesta disceptatio.
Sic est; sed illam pertinax
Amittit altercatio.

Verum tuere: sed minus
Stude tueri, quam sequi.
Adversa verbis verba sunt;
Sed integræ vitæ nihil.

Seu nota disputans doces,
Ignota seu vis discere,
Inanis est contentio:
Lucrum facit, qui vincitur.

Contentiones respue.
E nocte ut in clarum diem
Verum trahas, non doctior
Ut æstimeris, disputa.

Vide obstinatè ne tuis
Fidas opinionibus;
Sed veritati cognitæ
Te subde, promptus cedere.

Est digna sceptro veritas;
Huic cede, & herbam porrige:
Est, veritate corrigi
Victrice, victi gloria.

Odiosa rectis mentibus,
Nec digna sanctis est scholis.
Iuvenilis altercatio:
Schola, schola sit, forum, forum.

Schola sæpè verbis discrepat,
Re quando tota concinit:
Iactu pusilli pulveris
Hominum quiescunt prælia.

Ad notionem Numinis
Nihil parumve proderit
Arguta disputatio,
Nisi verba demonstres fide.

Tot

Tot verba, totque acumina
Verbosa pectus obruunt:
Divinior versatilem
Doctrina non habet fidem.

Aduersa verbis omnia
Sunt verba: sed sapientia
Infusa menti cælitus,
Constante fundatur fide.

12. Disquire: prodigus sui
Labor est amanti: discute
Quod ambigis; falsum excute:
Quæ sita se dat veritas.

Dubitatio, inquisitio,
Auditio, taciturnitas,
Examen, admiratio,
Elementa sunt prudentiæ.

Lege, scribe; at expecta famem,
Senium, atque lippitudinem,
Et temperatam maximo
Livore parvam gloriam.

Sermonis olim flosculos
Captasse plus nimio memor;
Id ut expies, te nunc stylus
Agrestis & rudis juvet.

Lege multa: lecta si juvant,
Lege plura: pulchra hinc & bona
Edisce: non omni tamen
Par danda scriptori fides.

Si lecta percipis citò,
Citoque ea oblivisceris,
Lucrum quod illinc feceras,
Hinc perdis, & tempus teris.

Intelligis facillimè,
Neque facilè oblivisceris?
Fructum laboris uberem
Hinc optimâ spe devora.

Quæ difficillimè capis,
Facillimè oblivisceris?
Vtrimque, spe nullâ lucri,
Damnum laboris sustines.

13. Non multa, sed multum lege:
Repetita nutrit lectio.
Putrere recti semina
Ardor legendi non finit.

Studiofa multos lectio
Evexit: ingenium erudit
Scriptoris eruditio,
Deciesque lecta scriptio.

Legisse multa nil juvat:
Cor dissipat vaga lectio.
Vertendus in succum ingenii,
Memorisque mentis, est labor.

Diversa degustes licet,
Nil languidus stomachus coquit.
Volvis, legisque plurima:
Hinc multa scis; sapis nihil.

Vt, quæ legas intelligas,
Doctrina, non virtus, facit:
Vt, quæ legendo intelligis,
Facias quoque; hoc virtus facit.

Hæc scribe, quorum nomine
Nomen DEUS scribat tuum:
Hæc scribe, per quæ tu prior
Scribaris in vitæ libro.

Ne

Ne gloriare, quòd DEI
Didicisse legem te putes:
Et hoc ad vnum natus es,
Nec hoc ad unum promptus es.

Qui sacra curiosus
Scruteris, hoc ages, nimis
Intelligendo, ut de abditâ
Nil veritate intelligas.

Veri bonique lumine
Exutus, ut totum diem
Iaculeris, haud laudabilem
Collineabis in scopum.

Mens veritate fulgida,
Cor caritate fervidum,
Os liberum, multis tibi
Valere possunt pro libris.

Non lectio sanctum facit,
Sed vita: Sanctorum lege
Et dege vitam: lectio
Præeat; sequatur actio.

Aures habes, cares manu:
Multa audiens, agis parum.
Veri agniti fructum metes,
Si, quod capis, cupis & facis.

Cordi sedebit altiùs
Quod eruditor dixerit,
Quod aure cepisti bonâ,
Melioze si monstres manu.

14. Benè cogitata ne effluant,
Recogita: propè occidunt
Audita, quæ mox excidunt:
In se reflexa mens sapit.

Qui te legentem negligit
Obscurus auctor, cur legis?
Quâ lectione intelligas,
Cui palma, non intelligi?

Disce audiens silentio;
Audita recole, fac, doce:
Altrissimam per hos gradus
Venitur ad sapientiam.

Res dum legis leviter graves,
Aut fallor, aut ludis studeas:
Res dum legis graviter leves,
Aut fallor, aut ludens studes.

Ambrosianis olim apes
Visæ sedere labris:
Ambrosianis nunc apes
Amant sedere libris.

15. Attenta Musis pectora
Indocta turba despicit:
Mentisque delicias bonæ
Velut cloacam nauseat.

Mortalibus fidissima est
Amica, mens intelligens:
Inimica menti pestis est,
Virtutis ignorantia.

Strepentis aura cymbali
Tigres ad iram concitat:
Sic Musa delicatior
Animos feroces efferat.

16. Ars nulla discitur loco.
Qui multum oberrat, haud sapit:
Serò vagus sapientiam
Negotiator hauriet.

Ff

De

De manè mens est purior,
Magisque curis libera:
Cum Solis almi lumine
Lumen resurgat spiritus.

Typographiam, rem fat bonam,
Facit malam ingenii tumor,
Et pervicax in quoslibet
Libido stringendi stylum.

Nisi inchoatæ plusculum
Adjeceris scientiæ,
Quæ sciveris perdes citò;
Quæ sita perdes, ni auxeris.

Sodalem delige.

1. **T**ibi magistrum, & comparis
Studii sodalem compara:
Docebitis, quæ te latent;
Hic te docebit discere.

Abibit id quod legeris,
Studiumque diffluet tuum,
Nisi socium teneas propè,
Tuis parem laboribus.

His vive cum sodalibus,
Qui sanctioris regulæ,
Vitæque possint & velint
Exemplar accipere, & dare.

Quacumque tandem polleas,
Virtute, plus eges bonæ
Sodalitatis, quam bonæ
Sodalitas egeat tui.

Ætate, gente, sanguine,
Doctrinâ & ingenio parem
Para sodalem: ferreæ
Comes olla fictilis crepat.

2. Tu neminem calidè tuos
Inter sodales adlege,
Nisi antè multis agnitum
Exercitationibus.

Confide paucis; non malè
Suadentis est sententia:
Confide nulli; non benè
Est sentientis suasio.

Sodaliū quis usui
Non cedat, & moris mali
Duretur assuetudine?
Cor, antè cera, fit lapis.

Tepidos & ignavos fuge:
Hi verba vitæ non habent.
Sectare mentes igneas,
Quæ frigus arceant tuum.

Prudens sodales elige:
Aliena non levem notam
Peccata inurunt. Te probis
Adjunge; talis audies.

Vt nomen obtineas bonum,
Vide quibuscum victites:
Malus videtur, qui malo
Se miscet ultrò cœtui.

Gaudet pari par: graculum
Imitatur alter graculus.
Claudo propinquus & frequens
Vix claudicare nescies.

Biben-

Bibentis os ciet sitim ;
Edentis aspectus, famem:
Ridentis os risum parit;
Alio oscitante, hic oscitat.

Boni colorem dat bonus;
Speciem mali adfricat malus:
Te, meque, sensim talia
Talem dabunt commercia.

Licentiosis moribus
Recta indoles pervertitur:
Moresque honestos & bonos
Corrumpit alloquium malum.

Vt luce jugi fulgeas,
Nec blandientis des locum
Erroris impetigini,
Consortia errorum fuge.

Cave improbi commercium;
Fuge juvenum consortia:
Perdit juventutis decus
Juvenile contubernium.

Quid unus inter tot lupos
Agas canis? sex ebrios
Inter sodales par eris,
Aut vapulabis sobrius.

Tuâ sodales à domo
Exclude pocularios;
Hos umbra damni aut metus,
Mensæ, & tui immemores facit.

Cum sobriis ede & bibe,
Vt esse discas sobrius:
Doceasque, qui jam viderint
Te sobrium, esse sobrios.

Si te malorum cœtui
Adjungis, expecta dare
Pœnas eadem, quas mali:
Malus vidêris cum malis.

Versare cum bonis frequens:
Iunctus malis fies malus.
Liquidam manu quoties picem
Tractabis, inquinaberis.

Absentibus virus nequit
Adflare serpens: qui sapiis,
Serpente pestilentius
Consortium vita malum.

In improborum semitis
Quando libenter ambulas,
Haud vivis affrictus mali
Securus à contagio.

Convictu ab impuro cave;
Nam qualium frequens latus
Stipaveris, te, non diu
Pòst, esse talem senties.

Quos mundus hîc socios vocat,
Hostes puta: sermonibus
Iocisque liberioribus
Linguam recusa, aures nega.

Tui inter ævi pessimos
Illæsus optas vivere?
Disce esse surdus audiens,
Cæcus videns, mutus loquens.

3. Versare tutò cum pari:
Durum est ab illo despici
Lædive, de quo non queas,
Nec si queas, ausis queri.

Durum est amici fraudibus,
 Aut vi potentis concuti:
 De neutro honestū est, nec potest
 Tibi esse tutum conqueri.

Inter duos non eligas
 Sedere amicos arbiter:
 Mensā paratā sapiūs
 Sodalium lis solvitur.

Profana te vulgi nequit
 Iuvare conversatio,
 Cui, præter aggestas opes,
 Meliora fordent omnia.

Socii legendi ? non opes,
 Sed opera spectata; sed decus,
 Specimens virtutum: satis
 Opulentus est, socius probus.

Quando omnibus sapientibus
 Omnis susurro displicet,
 Sapere videris, qui tuā
 Abigis susurronem domo.

4. Socii perinde ac propriam
 Habeto caram gloriam:
 Multum tuæ addit gloriæ
 Lecti sodalis gloria.

Prodesse semper, cum potes,
 Lectis stude sodalibus,
 Ne si favere desinat,
 Tibi noceat sodalitas.

Pretiosa quam minimo solent
 Constare verba: suavibus
 Nutritur alloquiis amor;
 Audace verbo rumpitur.

Disce. Doce.

1. **A**Rbor licet sapientiæ
 Radice surgat felleâ;
 Amaritudo melleos
 Quandoque fructus proferet.

Vbique disce: sit tuus
 Etiam magister hortulus;
 Docili minutus maximam
 Dat lectionem flosculus.

Præcepta sub doctis bona
 Edoctus, indoctos doce:
 Discente te, docente te,
 Doctrina in orbe floreat.

Docere scis ? primo sede
 Loco: secundo, discere
 Si vis. Docere aut discere
 Nescis ? sede nullo loco.

Docere multi malumus,
 Quàm discere; at plus discere
 Tibi quàm docere proderit:
 Qui discit, ipse se docet.

Ea disce, quæ nescis prius,
 Tum deinde nescios doce.
 Solus nihil discit DEUS:
 Solus DEUS solùm docet.

Nisi aptus es doceri,
 Nec aptus es docere:
 Prudens docendo discit.
 Docere vis ? docere.

Etiam

Etiã docenti acquiritur
Doctrina; dicendo, bonus
Orator evades: suos
Docendo, se Doctor docet.

Doce, & docere; quod scias,
Docilem libens mentem doce:
Docere quod tu nescias,
Id profiteri sit pudor.

Quod nescias, velle alterum
Docere, stultitiæ est nota:
Multos oportet discere;
Paucis docere convenit.

Quod scis, rogantem candidus
Promptusque discipulum doce.
Nescis? docere non sinat
Pudor; doceri flagita.

Facilis roganti, quæ tibi
Sunt clara, pande: quæ tibi
Nondum liquent, hæc discere
Te nullus impediãt pudor.

Disce & doce: mone & move:
Ad recta duc ore & stylo:
Factoque mentis otio,
Doctore lude carmine.

Quod nescit, hoc à nemine
Sapiens recusat discere:
Docilis, magistrumquemlibet
Audire si gaudes, sapis.

Sapientiæ laus est tuæ,
Ab eo doceri, qui sapit:
At ille qui sapit, solet
Vitare quæ vulgo placent.

A quo doceris, & bonum
Quod discis, utrumque æstima:
Sic te, bonumque quod doces,
Plus æstimabunt posterì.

Indignus ille est literis,
Qui literarum principes
Humaniorum non amat;
Indignior, qui despicit.

Diem sequens docet dies.
Quamvis peritus artifex,
Nescire quædam gaudeas,
Quæ gaudeas post discere.

Ineptus ille auditor est,
Qui, præ pudore rustico,
Quæ nescit ut discat, suum
Rarò magistrum interrogat.

Arcana sic scientiæ
Sublimioris explica,
Auditor ut videat tuæ
Te conscium ignorantia.

2. Docilem doce: frustra velis
Implere sat plenum sibi.
Memorem move: cave cado
Vinum effluenti infundere.

Inutilis pecten glabro;
Inutilis surdo lyra;
Speculumque cæco: inutilis
Est nauseabundo liber.

Vis judicandi non magis
Aliunde possit inferi
Menti impeditæ, sensibus
Quàm possit aut odor, aut sapor.

Ff 3

Hoc

Hòc altiùs fustollitur
Favilla mota, quò acriùs
Ignem quatis: parum, aut nihil
Obtare morosis juvat.

Si cùm docêris, vinceris,
Nec vincis hilum cùm doces,
Quid? victus, an victor redis?
CruX est inani gloria.

Doctrina quamvis optima
Sit omnium possessio;
In classe discipulos habet
Paucos magister: mens abest.

Magister is fuit mihi,
Qui me esse vellet plurium,
Hac lege; cùm nemo audiet,
Vt pædagogus sim mihi.

Vbi disciplina, ibi falus;
Ibi vita, pax, & gaudium:
Etiam viros, etiam senes
Puer verecundus docet.

Vt, quod voles intelligi,
Intelligatur, hoc age:
Quæ scribis obscure, aut doces,
Nec ritè scribis, nec doces.

Affuesce, ut oblectes gregem,
Sermonis uti fistulâ:
Sed ore quidquid præcinis,
Tractare ne pigeat manu.

3. Est sæpè discipulus sui
Figulus magistri: dignus est,
Habere lenem cereus,
Habere durum ferreus.

Auditor, ut mentem gerit,
Doctoris est faber sui:
Facilem facit mens flexilis;
Mens dura difficilem facit.

4. Oculus juventuri datus,
Time esse ductor devius:
Rectam roganti semitam,
Esse ad sinistra dux, cave.

Vitæ magister dat malus
Exempla discipulis mala:
Si cancer obliquè meat,
Sequitur parentis tramitem.

Bonum esse pastorem decet,
Et ob se, & ob suum gregem:
Hunc sicut emendat bonus,
Sic sæpè depravat malus.

Honesti discipulos doce
Faciendo facere: vis bonum?
Bonitate facies: optima
Quæ velle te ostendes, volet.

Pater. . Filius.

1. **V**T fonte manant rivuli,
Sic sensus omnis corporis,
Omnisque membrorum vigor,
Et motus à capite fluit.

A patre sic in filios
Virtus, & omnis optimæ
Vis disciplinæ profluit:
Patrem æmulatur filius.

Quod

Quod arbori ramus suæ,
Suæque palme vineæ,
Suoque rivus flumini,
Hoc membra debent corpori.

Fructum vide; hic laudem arboris
Minuit, vel auget: non potest
Fructus malos arbor bona
Adferre, nec bonos mala.

Aliquod malum omnibus bonis
Adnascitur: rarum est bonum,
Bonæ quod instar arboris
Radice ab unâ prodeat.

Nullos stolonos procreat
Annosa quercus; se probat
Oculis coloni nobilem
Datura fructum plantula.

Leporem læna non parit;
Nec aquila gignit anserem:
Imbellis imbellem creat;
Fortes creantur fortibus.

2. Sic vive coram filio,
Ut te tacente, industriæ
Loquatur exemplar tuæ:
Est filii speculum pater.

Equus excitatus buccinâ
Artus tremit, micat auribus,
Non stat loco: rectam bonum
Accendit exemplum indolem.

Præcepta longum sunt iter,
Lex multa, res morosior:
Magister expeditior
Exemplar est operis boni.

Tuâ malum domo exige:
Curam tui cœtûs habe:
Sis forte contentus tuâ:
Errasse te vide, & dole.

Orator, esto vir bonus:
Sermone neminem mone,
Monendus ipse: postula
Gnatum probum probus pater.

Honestâ suades fortiter,
Ad omne honestum qui præis:
Est semper omnis efficax
Post actionem jussio.

Domesticos qui non amat,
Te non amabit exterum:
Numquam bonum speres foris,
Qui semper est malus domi.

Cùm major ætas deficit,
Peccare non timet minor:
Observat & sequitur mala
Exempla patris filius.

Sine laude filium pater
Amoris expers, & prius
A te increpandus increpas:
Te, si sapias, primùm argue.

Errore quod suo, tuus
Te teste peccat filius,
Tuo imputa indulgens pater:
Non ille; tu pœnas lue.

Alumnus errat? tu tui
Memor, homini ignosces homo:
Graviora delinques brevî,
Si te tibi linquat Deus.

Quæ

Quæ stulta patravit puer,
Vultu benigno fer senex;
Tuæque retrò ludicra
Pueritiæ acta respice.

Errationes filii
Sint patris eruditio:
Nævos habet proles suos,
Vt sit quod emendet pater.

Quò quisque major, hòc solet
Esse ejus ira mitior:
Generosa mentis indoles
Placabiles motus gerit.

3. Securus expectas, puer
Vt fiat è malo bonus?
Sed uret expectatio:
Nam peior evadet morâ.

Reprehende filium pater,
Sed absque contumeliâ:
Odium probrosa agnomina
Creant, nec emendant malum.

Impunitas ausum parit,
Et ausus excessum; pater,
In cuius est manu malum
Vetare, non vetans, jubet.

Punire quem neglexeris,
Peccabit iterùm: dum vetus
Crimen supinus præteris,
Occasionem das novo.

Si filio, quâ dignus est,
Non irrogas pœnam pater;
Præsentibus parcens malis,
Transmittis hæc ad posteros.

Obscura sæpè & anxia
Téneris in annis est fides:
Faciet puer plusquam licet,
Si plus licet, quàm par fuit.

Cor molle possidet puer:
Vbi esse durum cœperit,
Ibi esse desinet puer,
Vel cor habebit non suum.

Securitatem filii
Ne blandior fove pater:
Sed nec tui stringat timor,
Timore sat strictum DEI.

Nec flexilis cor filii
Exulceret patris rigor;
Nec contumacem filium
Laxet patris benignitas.

Nec diligentem filium
Severitate deprime;
Nec negligentem languidâ
Extolle conniventia.

Ne lenitate filium
Licentiosem mulceas:
Nec Numinis curvum metu,
Hominis timore conteras.

Licentiosum ne tuâ
Corrumpe lentitudine:
Timore nec pavidum DEI,
Verbi rigore percutite.

Quò runditur frequentius,
Hòc fulget aurum clarius:
Quò strictius puerum reges,
Hòc promptius morem geret.
Clemen-

Clementiore supplicem
Clavo gubernata filium:
Sed impudentem audaciam
Iusto refuta verberare.

Vt tuncione aurum indiget,
Quò splendeat tuncum magis;
Sic verberare indiget puer,
Quò fiat obsequentior.

Fuste & minis stultum erudi;
Honore, cor intelligens:
Suadâ movetur mens bona;
Stultus movetur verberare.

Tardum quoq; & stupidum doce,
Crebrisque dictis erudi:
Evadet ille forsitan,
Spem præter omnem, doctior.

Differ flagelli verberare
Sævire; castiga minis:
Sic lenta pœnæ durius
Torquebit expectatio.

Sunt verba tractu idoneo
Prolata, fuste certior
Medela: verberibus cutis
Assueta, ridet verbera.

Hunc erudi, qui te velit
Audire, & erubescere:
Nullius hunc reget rigor,
Quem nullus attingit pudor.

Spes est salutis, cum genas
Depingit errati pudor:
Doctum rubere filium
Placidâ reges pater manu.

Objurgat admonitum pudor?
Spera salutem: spes abest
Virtutis, in quo durior
Frons depudere cœperit.

Putata saluti proximum,
Cujus cor objurgat pudor:
Hunc aure surdâ præteris?
Nec ipsa te salvet salus.

4. Vix indolis tenax malæ
Doctore vel duce indiget:
Natura quod sevit malum,
Duci ac doceri respuit.

Natura quod struxit malum,
Censura rara destruit.
Ars restat: at quod non dedit
Natura, vix dat ars bonum.

Omnis mali fons & caput;
Natura quod boni nihil,
Quod ars parum persuadeat,
Censura quod vix corrigat.

Hominis bonum vel nascitur,
Vel eruditur artibus,
Vel legis armis cogitur:
Natura, lex, ars quid juvant?

Vix experimur vergere
Mortalium in melius mala:
Vitiis quibus jam sueverit,
Ætas senescit ebria.

Vt corpus ævo debile
Nostrum laborat sæculum;
Gravissimâ annorum gemit
Onustus orbis sarcinâ.

G g

Ini.

Iniquior parens avis,
Nepos parente nequior,
Bipedum dabunt nequissimos,
Ut pollicentur, posteros.

5. Téneris quod antè mentibus
Hæsit malum, vix diluit
Virilis ætas: excidunt
Honestæ; durant turpia.

Vix in bonum mutabilem
Natura se reddet mala:
Sed omne doctrinæ genus
Bona superabit in dolens.

Boni malivè plurimum
Ferunt parentes & genus:
Sed in situm malum bona
Emendat institutio.

Crescentis ætatis licet
Natura maximè efficax
Sit ad malum; efficacior
Hanc vincit institutio.

Purga quod in sevit tibi
Natura pravum, aut mos malus:
Vrenda neglecto frequens
Innascitur filix agro.

Pullus recalcitrans, equus
Fit arte maturâ bonus:
Matura naturam juvat
Ars; fera vel nil, vel parum.

Docta antè flecti virgula,
Arbos adulta respuit:
Natura, furcâ millies
Expulsa, millies redit.

Fuit apta flecti virgula;
Mora longa robur addidit:
Adultæ rumpetur prius,
Quam formulam subeat novam.

6. Stultos parentes quid juvet
Monere verbis? nil suis
Damnis moventur; calceum
Curant, pedemque negligunt.

Ne dives asinorum pater
Sis, audiasque; prædia
Divende, proles ut bonis
Ritè imbuatur artibus.

Erras pater, quisquis domos,
Agros, pecuniam tuis
Paras, & auges liberis,
Quos erudire negligis.

Melior tibi sit orbitas,
Quam sint pudendi liberi:
Ibi solus orbus; orbus hinc
Cum pluribus sis, & malis.

7. DEUM time; parentibus
Honorem habe: Mystas cole;
Extolle & adjuva senes;
Sacros verere Præfules.

Senes, parentes, & ducem
Animi verere; te quoque.
Exempla ne in lasso senæ
Juvenis require; da seni.

Post altioris Numinis
Cultum, parentem diliges:
Veneraberis bonum; malum
Tolerabis, ut fiat bonus.

Honore

Honore vult à filio,
Et gaudet affici pater.
Ama benignum & commodum;
Incommodum tolera patrem.

Est gloriosa res, pater,
Impunè læsus filius:
Quem patris asperat rigor,
Mansuescit humanâ manu.

Viro patri qui vivere
Ingratus audes filius;
Tunc optimum disces patrem
Amare, quando desinet.

Quando optima absentis patris
Fuisse consilia vides,
Placere tunc serò incipit,
Quod perdidisse te doles.

Paterna dicta nauseas:
Sed orbitatis fulmine
Ictus, deinde senties,
Quo censu habendus sit pater.

8. Ne, iusta dicturus licet,
Contende cum parentibus:
Haud filium decet loqui,
Audire quod nolit pater.

Ne cum parente filius
Iure experiri sustine:
Hoc scripta lex, quod antea
Nativa lex vetuit, vetat.

Est nobilis victoria,
Et pulchra laurus filio,
Vinci à parente: filio
Turpe est parentem vincere.

Vox aurea, & cælo data,
Audi parentem. Cornua,
Quibus impetatur, quis suo
Velit aries agno dare?

9. Compluta tellus imbrium
Desideratâ aspergine,
Sinu arido claufas opes
Ingente fundit copiâ.

Pusilla mens pueri fuit:
At disciplinæ jam capax,
Immensa crescit sub boni
Docto magistri pulpito.

Ætate sis licet minor,
Senile pectus indue;
Vt, quod iuventam distrahit,
Sis liber à discrimine.

Vt digna vir facias senex;
Et digna juvene fac puer,
Et digna fac juvenis viro:
Ætatula ætatem docet.

Est pulchra res, puer innocens:
Res pulchrior, talis senex.
At nil videtur turpius,
Quàm vivere incipiens senex.

Mens nixa CHRISTO, fortium
Eludit & frangit minas:
Puelluli modestia
Audaciam damnat senum.

Paradoxa multa sæpius
Sunt vera supra hominum fidem:
Audita tamquam vox DEI,
Vox plebis, aut pueri, fuit.

Iuventa ineptit nescia ;
Vagatur , ut discat malum:
Ineptientem seu vagum
Quo calculo excuses senem?

Quietior juvenis sene,
Et stultior juvene senex,
Res fœda: pro sapientiâ
Iuvenis labora; habe senex.

Robustior juvene senex
Res indecens: stupenda res,
Prudentior juvenis sene,
Et ante tempus temperans.

Infirmior juvenis sene,
Iuvene minùs prudens senex,
Vtrumque ineptum est: viribus
Iuvenis vale ; sensu senex .

Primum est malum , malo bonus
Doctore corruptus puer :
Est ultimum malum, malo
Amore correptus senex.

Ne missionem postula,
Corrupte desidiâ senex;
Téne otiiis dignum putes,
Quæ sedulis fecit labor?

Senecta fracta inertîâ,
Labore digna est: otiiis
Indigna, quæ pulcher parit,
Gnavisq̄ue largitur labor.

10. Honeſta quære vel puer:
Iuvenis repertis utere :
Vir adde limam : quod fatis
Limaveris, senex doce.

Columna fulcrumq̄; est domûs
Doctus, pius, prudens senex,
Longumq̄ue in ævum polteris
Felicitationis tessera.

Audi peritos, & senum
Silentio dicta excipe:
Cave junior, ne sis tui
Argutus adjutor mali.

Tenuissimam prudentiam
Iuvenilis ætas possidet.
Audi senectam: major est
Rerum peritia in sene.

Senilis est prudentiæ,
Dictare quæ juvenem decent:
Iuvenilis impudentiæ,
Censere quæ dictat senex.

Quæ providus dixit senex,
Fuisse consilium puta:
Quæ verba contra reddere
Es ausus, error est tuus.

Qui se putabit junior
Iam scire multa Socræ;
Quò plura scit factus senex,
Hòc scire se putat minùs.

Quam callet artem qui sapit,
Hanc arte judicij tegit:
Ars illa quanta est, alterum
Docere quam nemo potest !

Mentis jubar sapientia,
Latiq̄ue cordis copia,
Est filia experienciæ,
Nec ante canos nascitur.

Est,

Est, quando habetur in novo
Vinum vetustum cantharo;
Est, quando ne quidem novum
Habet vetustus cantharus.

Iuvenilis auditor scholæ
Vvâ recente permades?
Doctõris auditor senis,
Veteri fitim sedas mero.

Est vita vini cantharo
Humana similis: istius,
Cum parva restat, portio
Acescit, & paucis sapit.

Pudentis & prudentis est,
Canos vereri: si parum
Niteant, vel obscurum fatis
Effulget in senio genus.

Seniorem honore præveni.
Est hinnulo potior leo
Etiam senex: vix prenditur
Laqueo vetustus simius.

II. Iuvenis tace: magis decet
Iuvenem tacere, quàm loqui.
Pare puer: humilis decet
Corpus pusillum spiritus.

Cave, cave coram sene
Rubore digna dicere:
Linguae pudendam lubricæ
Senectæ censuram dabit.

Nemo senectam rideat;
Omnes ad illam currimus:
Hanc multa rerum notio,
Vfusque longior beant.

Ecquis senectam non cupit?
Quis affecutus haud dolet?
Sumus hominũ ingratum genus:
Nam quis senex vitæ satur?

Seni senectam, ceu malum
Grande objicis? nisi hoc bono
Potiaris, extremo malo
Mortalium multaberis.

Iuventa, dum levis gravem
Rides senectam, per breves
Vendis cachinnos; his emes
Longi doloris femina.

Senectus. Mors.

I. **N**on est senectæ onus grave,
Si non repugnanter feras.
Queris & auges? te tui
Habebis auctorem mali.

Morbis senectæ & moribus
Te lætus apta; detrahes
Molestiæ de pondere,
Et mentis addes gaudio.

Assuesce duris: omnia
Ætatis humanæ mala,
Tuæ ad senectæ tempora,
Vt ad officinam, confluunt.

Te tempus erectum dedit,
Iam curvat: est malus faber;
Quæ recta firmârat prius,
Depressiora post facit.

G g 3 2. Quid-

2. Quidquid supremâ fors tibi
 Tabulis notato contulit,
 Augendo serva; ne levis
 Te fama spernat prodigum.

A ntiqva serva cum fide
 Patriis amicis pignora;
 Sicut parentes integra
 Et certa servarunt tibi.

Ne vive parcus, quæ seni
 Superant, opum; sed indigos
 Profusiore quàm soles,
 Tibi fac amicos munere.

Nec omnia omni subtrahas,
 Nec largiaris omnia:
 Fiduciam misce metu,
 Memor esse parcus prodigo.

Vfus ad omnes sic tibi
 Te fac amicum, ut ceteris
 Egere nolis, nec tuum
 Ament cadaver vultures.

Hereditatem qui petit,
 Tibi dubiam facit fidem:
 Vt fidus heres nascitur,
 Sic infidelis scribitur.

Meliùs sibi esse, quàm tibi
 Vult pauper heres: lacrymis
 Votisqve ait, Primum mihi,
 Rursum mihi, totum mihi.

3. Natura cum dederit tibi
 Multum diuque vivere,
 Rarum senectutis bonum
 Testare sanctis moribus.

Tumulo propinquus, & canis,
 Et ludis, & saltas senex?
 Quid inferis silicernium,
 Mortique delicias facis?

Saltem saluti consule,
 Sub ultimæ ætatis dies
 Monet senecta; ad exitum
 Te compara: imminet DEUS.

Potest quidem juvenis citò
 Mori, diuque vivere:
 Sed vivere hoc ævo diu
 Incurvus haud potest senex.

Felicis est diu vivere:
 Felicius est mori,
 Vitæ priusquam tædio
 Optare mortem cœperit.

Quò vita amarior fuit,
 Hòc sæpè mors est lætior:
 Quò vita delicatior,
 Hòc semper est mors tristior.

Quò vita amatur dulciùs,
 Hòc duriùs relinquitur:
 Mortem timet felix; miser
 Vitæ laborat tædio.

Cùm sis egenus omnium,
 Cur semper optas vivere?
 Quod velle posse te scio,
 Ignoro posse cur velis.

In res dolendas incidit,
 Cui vita currit longior:
 Tibi multa oportet accidant,
 Si vivis, aut moreris diu.

Put

Pata quot annos vixeris ;
 Paucos habebis gaudii,
 Multos putabis tædii:
 Vna annus est misero dies.

4. Inter dolores anxio,
 Interque læta pendulo
 Mors vellit aurem; & te sibi
 Vitæ imperitum vendicat.

O quisquis olim visus es
 Plorare, vix natus puer,
 Cur nunc mori doleat tibi,
 Cui fuit nasci dolor?

Beatus & carus DEO,
 Quisquis salutis flumine
 Ablutus, interit puer,
 Mortem triumphat innocens.

Ah ne time, puer, mori !
 Discriminum mille agmina
 Moriendo ludes. Hoc boni
 Bonum esse opus disces DEI.

Bonum quidem nasci prius
 Fuerat tibi : melius tamen,
 Multoque fit felicius,
 Ecclesiæ in gremio mori.

5. Infantulum Tonantem,
 Infantuli loquuntur ;
 Non ore, sed cruore:
 O sanguinem disertum !

Nondum potens linguâ loqui
 Arridet ensi parvulus ;
 Et robur infantis DEI
 Pulchro cruore prædicat.

Frequenter hoc ævo solet
 Mori ante patrem filius:
 Hac lege & ævi moribus
 Moriere, me vivo, Liber.

6. Quiesce ; cessa mortuum
 Lugere filium parens:
 Ceu pignus hunc DEUS dedit,
 Ceu pignus hunc DEUS abstulit.

Lugere matrem in filii
 Vetare noli funere:
 Moderare luctum, cum suis
 Animum repletit lacrymis.

7. Sperare magna, sæculi
 Velocitas vitæ vetat:
 Nimis, heu! brevi mortalium
 Clauduntur anni termino.

Quacumque cæli cærum
 Sol pervagatur fornicem,
 Et quâ vagus per aëra
 Radios reflectit igneos ;

Rotamur omnes nescii,
 Serieque cæcâ volvitur ;
 Omnes vicissim, temporum
 Rerumque lusus, nascimur.

Nil mensium pater dies
 In orbe mansurum videt ;
 Vbi mobiles rerum vices
 Se more turbinum premunt.

Primis ab anni mensibus
 Ad ultimum delabimur:
 Perire nemo se videt ;
 Periisse nemo non videt.

Com-

Communis, heu! cùm sis homo, Non posse quod vis est labor?
Memento, fortis: nil habet Quiesce: quod possis, velis:
Hæc vita constans: quæ diu Imbelle velle qui dedit,
Stetisse miraris, cadent. Is posse, cùm volet, dabit.

Hinc astra, quos pateris dies, Speciosa, sæpè dic, DEUS,
Trudunt trahuntque; illinc dolo Verbis sponendi inanibus:
Te nectit hostis: cur novi Fugio deinceps; nil queo
Captes laboris carcerem? Præter malum, ni me juves.

Horas, dies, menses quoque Sat multa promisi miser,
Pateris & annos; sidera Levis ore, plumbeus manu.
Trudunt, trahuntque miseras: Promissa mitto: nil boni
Has quisquis ambis, haud sapis. DEUS, absque Te, effectum dabo.

Est ipse fluxus temporis Piger opere, ore strenuus,
Tempus: sed idem fluxus est Rebus futuris imminens,
Mors temporis: igitur liquet, Nil reddo præsens: scilicet
Mortem esse tempus temporis. Tunc multa, magna, nunc nihil.

Dies diei deficit, Promissionum plus satis
Deestque tempus tempori, Me divitem hætenus, tuæ
Et vita vitæ: mors opus Nunc sola spes opis, DEUS,
Vix inchoatum diruit. Solatur. Age de me, ut lubet.

Divina dona prosperæ Dic æger; Ecce me mei
Salutis ignoras? tua Torporis admonet DEUS:
Ne semper ignores bona, Virtutis à me plusculum,
Facies valetudo mala. Opusque majus exigit.

Te Numen & morbus novam Dic æger; Est cordi mihi,
Virtutis ad palmam vocant. Si vita restat, cum DEO
Vis, nec potes? vires pete: Mutare vitam; & moribus
Dat posse, velle qui dedit. VALE usitatis dicere.

Nimis volens minùs valens, Te, conscium tibi, decet
Quantùm vales tantùm velis; Totum dicare Numini;
Quod debet is reddit DEO, Illique cuncta cedere,
Qui, quod potest, haud negligit. Verisquæ verbis dicere;

Vixi tot annos ; & nihil
Habere me facti pudet,
Quo tester , ô DEUS, tuo
Amorem AMORI redditum.

Si me tamen sic evocas,
Habe paratum ; sum tuus:
Tua quod voluntas eligit,
Mea & voluntas diligit.

8. Tranquillus optas vivere ?
Nec vivere opta, nec mori.
Committe, quæ nescis, DEO.
Quis tu ? ut, quod ille scit, scias?

Tibi se DEUS ; tu te DEO
Volens libensque consecra,
Promptus, relictis retibus,
Quò te vocaverit, sequi.

Pende sub uno mens DEO
Parata vivere, aut mori;
Et prompta mox è corpore,
Ut te vocârit, egredi.

Digito notatum Numinis
Proferre ne spera diem:
Quo fata momento vocant,
Cessare jussu non licet.

Nil mortis incertus dies
Si prorogetur, proficit:
Tibi vita non fiet morâ
Beatior, sed longior.

Quis mente tranquillâ potest,
Et lætus ex voto mori ?
Qui semper extremum sibi
Luxisse credidit diem.

Quem visis ægrum , de suo
Haud surget, inquis, lectulo?
Si surgat , agrè frivolum
Egisse te vatem feres.

Morbo petitus, pristinâ
De sanitate gratiam
Habe DEO, aptus reddere
DOMINO petenti creditum.

9. Humana vita, dic, quid est?
Est scena : siparium amove ;
Fuisse vana & ludicra
Videbis illicò omnia.

Quid nostra vita ? fabula.
Non quàm diu, sed quàm benè
Peracta sit, nostrâ interest.
Benè vive ; sic vives diu.

Ne vive securus , memor
Vitæ tuæ actus ultimi:
Comœdiam, an Tragœdiam
Mors claudet; an bona, an mala?

Felicitatem originis
Nisi funeris felicitas
Ostendat; infaustam miser
Originem finis gemet.

Humana vita, dic, quid est?
Sagitta: dum volat, avolat.
Sonus: incipit, mox desinit.
Trochus, à rotante pendulus.

Quid bulla? quid flos vernulus?
Quid fumus? an tria sunt nihil?
Humana vita quid? nisi
Flos, bulla, fumus? an nihil?

H h

Est

Est vita, quam nos vivimus,
Imago mortis, ambulans
Cadaver: adspira brevî
Hinc ad Beatorum domos.

10. Agnosce, rerum quisquis es
Incurius cælestium,
Quàm vilis es res; vix homo:
Vix ulla res homine minor.

Si mente quòd validâ vales
Præfidis, & places tibi,
Corpus labascens adspice,
Et languidos vide pedes.

Nudata quando carnibus
Miraris ossa; cogita
Te posse proprie tuum
Habere sub cælo nihil.

Vi Numinis reconditâ,
Sed non iniquâ, annosior
Fit silva momento cinis;
Acies, cadaverum strues.

Quid est homo? cor, & caro.
Caro quid? cadaver fœtidum.
Cor? cura. Nasci? morbus est.
Quid vivere? est crebrò mori.

Hinc disce, quid sis, ô homo,
Quantusque, musca quem ferit,
Qui perpeti esuriem, sitim,
Algorem & æstum cogaris.

Hinc disce, quid sis, ô homo,
Quantusque; cogêris brevî,
Cadaver & turpe & putre,
Fœtere, vermis pabulum.

Hæc, mente qui jam videris,
Nihil tumebis: at decet
Animi decôro corporis
Velare turpitudinem.

Hominem te ais? quàm sis homo,
Rationis usu fac probes;
Onerique disce corporis
Animi hunc honorem jungere.

Densâ vndequaque cingeris
Inscitiæ caligine:
Neque id scies, donec dolos
Recludat hora funeris.

Cur mille mortales modis
Morimur; modo uno nascimur?
Quia omnium mortalium
Sunt mille morbi; una est salus.

Nasci, & mori quid sit, latet.
Miraris? haud miraberis,
Si te fateris hæctenus
Nescire, quid sit vivere.

11. Est lata lex una omnibus,
Quæ præcipit nasci & mori:
Non posse vivere, est mori;
Nescire, morte pejus est.

Communis est lex omnibus
Mortalibus semel mori:
Si, quàm sit, ista lex potens,
Haud cogitas; stultè sapis.

Moriturus es. quoties? semel.
Quis nescit? at nescis diem:
Perpende. nemo crastini
Securus aut est, aut erit.

Cal-

Calcanda mortis omnibus
Et singulis semel est via:
In morte quod factum voles,
Hoc vivus in præsens age.

Sunt cæca mortis tempora:
Nec providum Numen finit
Homini liquere, quid vehet
Fluentis horæ clausula.

Mors, certa res est ; te manet:
Incerta res est, quo die,
Quove illa te sternet loco:
Vbique semper hanc mane.

Nec vespæ, nec crastini,
Nec horulæ certa est fides;
Sed omnium incertissima
Est hora certi funeris.

Nescis ubi te mors manet:
Vbique tu mortem mane;
Ne fortè sit quod hoc loco
Tecum velit decidere.

Prudenter ordinandus est
Omnis dies, quasi ultimus:
Differre qui vitam volunt,
Inopina sæpè mors rapit.

Moriere ; delicias suas
Mundo relinques : aridos
Præter labores mortuus
Geres nihil ; sed nec geres.

Fecisse quod moriens voles,
Iam, cum potes, cur non facis?
Fugisse quod moriens voles,
Iam, cum potes, cur non fugis?

Fini stude : semel mori
Decrevit omnibus DEUS:
Sed vitam honestè claudere,
Soli bono obtigit viro.

Quid præstolaris crastinum,
Morisque subnectis moras?
Operare, quidquid ultimâ
Voles peractum in horulâ.

Mors sola solvet subdola
Vitæ brevis deliria:
Vt est honestum fortiter,
Sic turpe, turpiter mori.

Numquam putanda mors mala,
Quam vita præcessit bona:
Oraculum est ; mori malè
Non posse, qui vixit benè.

Est turpe monstrum, quæ bonum
Bona vita finem non habet.
Sudasse quid juvat diu,
In fine quando deficis?

12. Vtinam dicata mens DEO
Exerceatur talibus
Considerationibus,
Novissimæ lucis memor!

Hæc cogita: Vnde veneris,
Quem sis iturus ad locum;
Quid sis futurus ; quemque sis
Habiturus olim Iudicem.

Anima misella te vide ;
Motus tuos circumspice :
Tua dicta, facta sic proba,
Vt mortis hora comprobet.

H h 2 Olim

Olim tot annos, tot dies
Meditare lapsos: sic vide
Fugax ut ætas avolat,
Ut funeris vivas memor.

Brevi futurum cogita,
Ut judiceris à DEO:
DEO vidente, & omnia
Sciente, peccabis minus.

Qui vivis uni unus tibi,
Cui CHRISTUS à corde exulat,
Perpende, quàm sit ultimi
Horrenda iudicis tuba.

Non solus unus aut duo
Sententiam de te ferent:
Erit sub innumero tibi
Dicenda causa iudice.

Curis omissis omnibus,
Hanc præter unam, te ad DEI
Tribunal exactum para:
Hæc cura curarum est caput.

Mortem & tribunal cogita:
Hodierna si parcat dies,
Te fortè tollet crastina,
CHRISTOQUE sistet iudici.

Animum tribunali para;
Cælos, vel orcum cogita:
Secura mens sui exitus,
Est magna poena criminis.

Tribunal extremum altiùs
Insculpe menti: quo loco,
Quo tempore, die, horulâ
Vocandus, ah! nescis homo.

O anima, si DEO arbitro
Inventa sis habens minus,
Quo Medus olim Balthasar
Periit, peribis exitu.

13. Non interibis, vir bone,
Sed introibis in bonum:
Te vitam ad æternam brevis
Mors ducet; introitus erit.

Non introibis in bonum,
Sed interibis, vir male:
Te mortem ad æternam brevis
Mors ducet; interitus erit.

Benè vive. Declina à malo,
Et fac bonum; optabis mori:
Abrumpit omne mors malum,
Quod vita credidit bonum.

Finis malorum est ultimus
Mors, sine vel carens malum:
Hanc vitat, ut malum, malus;
Invitat, ut bonum, bonus.

Mortem tuam si non amas,
Te non amas; aut te bonum
Gratis vocas. Magnum bonis
Mors est bonum: hoc opta tibi.

Quousque tandem lentior
Mundi inquilinus hæreo?
Quis hac domo discedere
Mihi det paternos ad lares?

Est vera vita caritas:
Hanc vive; prælagus tui
Fies ab illâ funeris,
Morti paratus, & DEO.

Est

Est vera vita, vivere
 Vitam secundum spiritum:
 Nec vera sit mors, sic mori;
 Mors vera, turpiter mori.

14. Timenda qui rarò times,
 Cur nec timenda nunc times?
 Vis non timere quæ times?
 Timenda quæ sunt sat time.

Qui mente fluctuans vagâ,
 Fiduciæ & formidinis
 Saxum inter hæres & sacrum,
 Vertumnus es, vel Proteus?

Quid corporis mortem times?
 Hæc sæpè plaga est unica:
 Mors est timenda spiritûs,
 Necando quæ numquam necat.

Mortem leve est contemnere,
 Sed cogitare durius:
 Ne prima sit species levis,
 Facit iterata impressio.

Fiet gravis mors quam times;
 Quam non times, fiet levis:
 Iuxta tui normam metûs,
 Amaritudo mortis est.

Timore quam nullo potes
 Vitare mortem, cur times?
 Vitare quod potes scelus,
 Originem mortis, time.

Omni loco, omni tempore
 Mortem timere, est unius
 Mortis loco longissimam
 Bis millies mortem pati,

Sic disce, quid fueras priùs,
 Quid es modò, aut futurus es,
 Ut ne immoreris; est sui
 Ignara vita gratior.

Horrere nolis anxie
 Ventura mortis tempora:
 Vitam sùetus temnere,
 Nec damna, nec mortem timet.

De sæculi optimo statu
 Sic cogita, quasi integrum
 Victurus esses sæculum:
 De fine, ceu iussus mori.

15. Excurrit annus: cur novo
 Amabis anno vivere,
 Si non amoris ut tui
 Æternitatem plus ames?

Mens alta spirans, & suam
 Æternitatem cogitans,
 Longos nec æstimat dies,
 Nec longiores appetit.

Fugare disce perbrevis
 Mortis metum æternæ metu:
 Æternitatem tartari
 Cælique, præfer tempori

Ne laus tibi cadat vetus,
 Sic vive, surgat ut nova:
 Vbicumque honestè vixeris,
 Crede esse jucundum mori.

Honestæ turpitudine sit,
 Seu gloriosa infamia,
 Vitam æquitati impendere,
 Et pro bonâ causâ mori.

Cæleste regnum eme sanguine;
 Gaudebis empto: si fugis,
 Facto dolebis: arduâ
 Sed illud attinges viâ.

16. Hominis repentino mali
 Gaudere noli funere:

Felix, at idem rarus est,
 Qui vixit expers criminis.

Homini sepulchrum mortuo
 Est terra quævis; editus
 Terrâ, ipse terra est: mortua
 Sic terra terræ redditur.

*S*cribenda restant plurima;
 Sed parco: & ut ne sim tibi
 Molestus, abstineo sciens;
 Utque alteri superet labor.

Nam tanta rerum copia
 Abundat, ut desit suo
 Faber labori, nec suus
 Ulli fabro desit labor.

Hæc pauca verba mortui
 Audire vivus sustine:
 Tibi ut placerem mortuus,
 Placere vivus nolui.

F I N I S.

I N D E X

TITVLORVM HVIVS OPERIS.

PROOEMIUM.	pag. i.	X. <i>Turba, Solitudo.</i>	145.
PARTIS PRIMÆ		XI. <i>Sequere Deum.</i>	147.
		XII. <i>Amor sui, Amor Dei.</i>	151.



TITULUS I. <i>Dire-</i>			
<i>ctor Sacer.</i>	5.		
II. <i>Tiro.</i>	17.		

PARTIS TERTIÆ

PARTIS SECVNDÆ

TITULUS I. <i>Fides, Spes,</i>			
<i>Charitas, Timor Dei, Fuga</i>			
<i>peccati.</i>	33.		

II. <i>Pœnitentia.</i>			40.
------------------------	--	--	-----

III. <i>Tres Anima Hostes</i>			50.
<i>Dæmon.</i>	50.		

<i>Caro.</i>	53.		
<i>Mundus.</i>	65.		

IV. <i>Via Crucis.</i>			71.
------------------------	--	--	-----

<i>Sors varia.</i>	74.		
--------------------	-----	--	--

<i>Sperne sperni.</i>	85.		
-----------------------	-----	--	--

<i>Neminem sperne.</i>	92.		
------------------------	-----	--	--

V. <i>Superbia, Humilitas.</i>			98.
--------------------------------	--	--	-----

VI. <i>Amor proximi.</i>			111.
--------------------------	--	--	------

VII. <i>Auaritia, Prodigalitas,</i>			
<i>Paupertas spiritus.</i>	123.		

VIII. <i>Oratio, Contemplatio.</i>			132.
------------------------------------	--	--	------

IX. <i>Lectio sacra.</i>			140.
--------------------------	--	--	------

TITULUS I. <i>Vis Ordinis.</i>			156.
--------------------------------	--	--	------

II. <i>Veritas, Falsitas.</i>			157.
-------------------------------	--	--	------

III. <i>Rex, Nobilis, Civitas.</i>			160.
------------------------------------	--	--	------

IV. <i>Iustitia, Iudex.</i>			170.
-----------------------------	--	--	------

V. <i>Pax optima rerum.</i>			173.
-----------------------------	--	--	------

VI. <i>Iracundia, Mansuetudo.</i>			174.
-----------------------------------	--	--	------

VII. <i>Lingua bona, Lingua ma-</i>			
<i>la.</i>	179.		

VIII. <i>Lingua garrula.</i>			188.
------------------------------	--	--	------

IX. <i>Animi duplicitas, Candor.</i>			190.
--------------------------------------	--	--	------

X. <i>Promissio, Fusjurandū.</i>			194.
----------------------------------	--	--	------

XI. <i>Gratitudo.</i>			195.
-----------------------	--	--	------

XII. <i>Prudentia, Fortitudo.</i>			196.
-----------------------------------	--	--	------

XIII. <i>Labor, Ignavia.</i>			204.
------------------------------	--	--	------

XIV. <i>Doctrina, Studium.</i>			215.
--------------------------------	--	--	------

XV. <i>Sodalem delige.</i>			226.
----------------------------	--	--	------

XVI. <i>Disce. Doce.</i>			228.
--------------------------	--	--	------

XVII. <i>Pater, Filius.</i>			230.
-----------------------------	--	--	------

XVIII. <i>Senectus, Mors.</i>			237.
-------------------------------	--	--	------

F I N I S.

INDEX

THE VIOLETTA HUIUS OPERIS

I. De ...
 II. De ...
 III. De ...
 IV. De ...
 V. De ...
 VI. De ...
 VII. De ...
 VIII. De ...
 IX. De ...
 X. De ...
 XI. De ...
 XII. De ...
 XIII. De ...
 XIV. De ...
 XV. De ...
 XVI. De ...
 XVII. De ...
 XVIII. De ...
 XIX. De ...
 XX. De ...
 XXI. De ...
 XXII. De ...
 XXIII. De ...
 XXIV. De ...
 XXV. De ...
 XXVI. De ...
 XXVII. De ...
 XXVIII. De ...
 XXIX. De ...
 XXX. De ...

SANCTI
PHILIPPI NERII
CONGREGATIONIS ORATORII
FVNDATORIS
MONITA ASCETICA
SELECTA:

LATINE REDDITA
à R. P. OLIVERIO FLORENTIO WATERLOOP,
Congregationis Oratorij Aspricollis
Presbytero.

NEW
MISSISSIPPI
CONGRESSIONAL
EXHIBITION
MONUMENTAL ASSOCIATION
SELECTA

LATINE REDDITA
R. F. OLIVIERO FLORENTINO WATERBURY
Congregational Church of
Paderborn

P R O O E M I V M.



ANCTUS PHILIPPUS NERIUS, Presbyter Florentinus, illustrem illam Sacerdotum familiam Romæ primùm instituit, quæ cum ab Oratorio D. Hieronymi, unde duxit originem, tum vel maximè ab Orationis assidua peculiari studio, CONGREGATIONIS ORATORII nomen obtinuit. Fuit autem in illo beatissimo Viro ea lux mentis, quæ & hominum sæpè captum fugeret, & fidem omnino superaret; in cuius arce, dicam an apice, sedem ac domicilium fixisse visa est omnium corona virtutum. Ille enim fuit ille Vir, cuius igneum cor nihil aliud quàm sacri illius secretique amoris eximium sanè specimen fuit, imò prodigium. Tanto, tamque omnibus retrò sæculis inaudito divinæ caritatis flagrabat incendio. Quod ne generis humani damno lateret, DEVS Opt. Max. ipse amor, & amoris fons, universo nunc Orbi liquere voluit. Voluit castissimum pectus igne illo cælesti non calere tantùm, sed & sic ardere, ut etiam luceret. Noluit optimæ menti calitus infusæ sapientiæ deesse radios, quibus inlatentem cordis ardorem palàm faceret. Quin & oris aliquâ eminere facundiâ foris ille debuit, cuius præcordia virgineis facibus intus aestuabant; ut idem diviniore eloquii niteret gratiâ, qui innocentissimæ conversationis sanctimoniâ fulgebat. Sic igitur intus caluit, ut luceret foris; sic arsit affectu, ut in effectus erumperet Orbi mirandos magnus hujus ævi Thaumaturgus,

non ore umquam ditior quàm opere. Sed neque salutarium sermonum antè satur, quàm suæ flammæ vestigium aliquod intimis auditorum penetralibus impressum animadverteret. Imò nec insiti desiderii sibi visus est abundè compos, nisi dilectissimos Alumnos pari secum flammâ videret afflatos & involutos: quâ nimirum sensim ustulati, ac deinde medullitus accensi, nobili sui Ducis exemplo, quidquid sub celo cæcitas humana suspicere, id omne, ceu quisquiliæ, venti & temporis spolia, liberimâ mente despicerent. Nec sanè quidquam antiquius, aut magis in votis habuit, quàm ut solis æternorum bonorum desideriis suorum in Christo Filiorum corda paterent; procul scilicet abjectis, penitusque exclusis fluxarum atque interiturarum rerum curis; quò tranquillius, purgatâ iam, & ad internam Christianæ letitiæ pacem collectâ mentis acie, Orationis assiduitate oblectarentur: atque ita, diuinæ familiaritatis suavitate subinde pasti ac refecti, libenter admodum ab æternæ Veritatis ore penderent, atque in dies erudirentur. Tanti enim illi semper fuit ista humani intellectus longâ beatæ spei expectatione orandi que patientiâ subacti, & jam velut à Dei nutu sive monitu penduli docilitas, ut hanc unam virtutem totius spiritualis ædificij basim esse censuerit & fundamentum. Quo feliciter jactò, nihil ambigere potuit de facillimâ suorum manu ductione ad eam, quæ Ecclesiasticum statum decet, morum atque honestæ conversationis disciplinam; certus, quantum reliquæ structuræ superesset, id omne nonnullâ cum rerum atque ingeniorum peritiâ, tum sedulâ Christianæ caritatis industriâ

striam facile posse ad fastigium culmenque perducere. Eorum itaque, quorum directionem suscepisset, suorum praesertim Alumnorum, omnium ac singulorum consilia, diligentibus indagine perquisita atque explorata, solebat pro vario cujusque captu atque indole, ad unicum illum salutis aeternae scopum fortiter dirigere; simulque, prudentiam planè divinam, ad evidens aliquod humani generis bonum suaviter ac solerter collineare: eaque dexteritate etiam optima suorum desideria moderari, ut quidquid perspectis seu naturae dotibus, seu congenitis animi propensionibus, huic aut illi ad virtutes asequendas, Dei gratiam promerendam, placere ac prodesse didicisset, hoc ipse tamquam à Domini spiritu profectum, eiusque benignae voluntati consentaneum, sententiae suae sive consilij calculo comprobaret. Sentiebat quippe Vir caelitus afflatus hanc Rectionis propè divinae formulam iis hominibus, qui ad vitae communis institutum satis à naturam & moribus comparati, Dei sanctioribus obsequiis se suaque volentes libentesque tradidissent, longè aptius convenire, quàm cætus cujuscumque monastici regulas ullas sive leges. Atquod ut nec ad eiusmodi virorum Ecclesiasticorum Collegia vel in officio continenda, vel in ævum continuanda, votorum aut juramentorum vincula admodum necessaria esse judicaret. Quocirca eos, qui Romanae Congregationi nomen initio darent, non aliàm quàm Christianam dilectionis, aut communi Ecclesiasticae disciplinae lege voluit adstringi. Ex cujus deinde accuratâ observatione, mores apud eos optimi, usu magistro introducti receptique, paucisque aliquot constitutionibus

bus postea firmati, in unum Institutorum Volumen redacti sunt: quod PAULI V. summi Ecclesie Pastoris ac Judicis auctoritate comprobatum est anno Domini supra millesimum sexcentesium duodecimo. Eandem porro institutionem alia ex Romanam prognata Congregationes sunt secuta: in quibus fixo ratioque more eadem regiminis norma recepta est, ac demum peculiari decreto firmata: adeo ut si quos ab ea discessionem meditari aut moliri contigerit, velleque seipsum aliosve arctare voti aut juramenti novo aliquo nexu; his quidem ad alia Cœnobia transire liceat, atque illic ex instituti regulam vota facere. Sed ea tamen lege, ut emanatores ejusmodi, sive desertores domo, ac pristini juris possessione ipso suo facto excidant, & penes ceteros, etiam numero longe inferiores, sit integrum ius in universa Collegij bona, quocumque ea loco sita fuerint. Quod autem prudentissimus animorum ductor arctiore illam votorum via suos ducere noluerit, præter internos à Deo instinctus, rationes quoque non defuerunt, quibus in hoc animi proposito firmaretur. Nam etsi religiosam semper observantiam Regularium Ordinum ac votorum Professores veneraretur; attamen innumera illa, eademque sanctissima toto jam Orbe sparsa variorum Ordinum instituta animadvertentibus vis abunde posse sufficere, quibus pia illa votorum vincula præeligenda viderentur. Sed & præ oculis illi semper fuit antiquus ille decor & venustas filie Regis, Ecclesie sanctæ Dei, quam magnopere optabat gratam illam suam circumamictam incedere varietate, atque ita veterem illam in suam Hierarchiam retinere ac tueri dignitatem, quam primis & Aposto-

Aposto-

Apostolicis temporibus eam claruisse didicerat. Cui rei id temporis instauranda nihil convenientius magisque opportunum fore censuit, quam tale aliquod Ecclesiasticae vitae genus, quod aurea mediocritatis velut norma quaedam esset inter huius seculi licentiorum vitam, & ea praesertim monasteria, quae ad externam rigoris & asperioris disciplinae, non omnibus aequè facilem, strictioris vinculi nodo constringuntur. Ut si quibus animus quidem esset mundo ejusque vanitati valefaciendi, neque tamen valetudo aliqua animi aut corporis constitutio suppeteret ad duriores illas corporis afflictationes invictà humerorum patientià perferendas, iis quoque piorum Sacerdotum aliqua familiae paterent, ab indocilibus atque indomiti vulgi facibus, & secularium negotiorum turbis abjuncta: ubi rerum aeternarum contemplatione, jugis Orationis exercitio, inculpatae vitae exemplo, verbi divini ministerio, & aliis Christianae pietatis officiis, suae & proximorum salutis pro gratia & celitus accepti talenti modulo consulere, nec minùs utilem operam dare queant universae Ecclesiae Dei in aliquo Martha munere aut Magdalena, quàm si temerè, & ut fit, nec liquido vocati in Monastica septa semet abdidissent.

Et licet, quàm semper excelluit animi demissione ac modestià, Congregationis Oratorii se semper auctorem studiosè negaverit, Deoque ejus originem, progressum ac perfectionem acceptam tulerit; suos tamen nequaquam impedire potuit, quò minùs eum pro sui Ordinis optimo Parente atque Auctore, quoad vixit, agnoscerent:

à cu-

à *cujus ore pendere, unica illorum erant deliciae; illius exemplis & monitis ad omnem Christiana Vita perfectionem erudiri, praeipuum desiderium.*

Nos monita S. Patris praecedenti Opusculo sparsim, prout res ferebat, Carmine dedimus. Ne autem pius Lector in discernendis iis ab aliorum sanctorum & sapientum virorum placitis & dictis frustra laboraret, visum est illorum selectiorem centuriam solutâ oratione hîc adjungere.



S. PHILIPPI NERII
 CONGREGATIONIS ORATORII
 FVNDATORIS
 MONITA ASCETICA
 SELECTA.

I.



SA N C T I Patres & antiqui Monachi contemptum rerum caducarum, despicientiam sui, & ceterorum hominum venerationem, pro Christianæ vitæ elementis, ac virtutum solidarum initiis habuerunt.

Tu, tantorum ut magistrorum docilem te præbeas discipulum, terrena hæc & caduca mundi sperne; homines omnes in honore habe; te verò diligentissimè inspectum vehementer despice: ab aliis verò sperni, sapiens cælo videberis, si pro nihilo ducas; sapientior, si & beneficii loco habeas.

II.

DE O semper placuit animi modestia; nec umquam ille desiit ab hominibus humilem de seipsis sensum exigere, & exiguam, ac propè nullam humanarum virium æstimationem. Nec verò quidquam est, quod divinus ille oculus detestetur magis, quàm videre hominem miseriis undiq; cinctum, & tamen sensûs proprii vanitate, & ementiâ de se opinione inflatum ac tumentem.

Tu, ne isti oculo displiceas, exue omnem tui fiduciam; intuere seriò quàm in eius conspectu nihil sit totum illud, quod esse, scire, aut posse te putas: atque in nihilo tuo positus,

K k

tus,

tus, nihilque boni de te sentiens, totus à divinâ gratiâ pendebis supplex, & placebis; & parvulus coram te, nihil oberit quin magnus fias coram Domino.

Adeo superbiæ inimicus erat S. PHILIPPUS; ut licet blandè jucundèq; cum omni sceleratorum genere versaretur, attamen elatioribus inflatisq; ingeniis attemperare se nullâ ratione posse videbatur.

III.

ERrat, & suæ salutis malè consulit, qui viribus nixus humanis, vitiorum non vitat illecebras, & occasiones peccandi; sed velut de præsentis statu securus, casum imminens non reformidat. Quantò enim fortior ac firmior sibi videtur, tantò est lapsui propior, & probrosæ animi ruinæ. Qui ergo peccatum, & quidquid Lex divina vetat, devitare voluerit, neutiquam sibi fidat, neque suarum imbecillitati virium, opinione vanâ, quidquam adscribat. Deo potiùs fidenter iuxta ac modestè dicat: Nequaquam mihi fide Domine; nec à me aliud, quàm quod malum est, expecta. Nisi enim auxiliatricem manum tu mihi benignè porrexeris, certò perii.

IV.

QVando ut homines peccamus, credamus Deum istud frangendæ superbiæ nostræ causâ permisisse. Nihil verò est homini perniciosius, quàm delicti aut erroris propugnatio & defensio. Resipiscat igitur quisquis lapsus est, dicatque ingenuè: En latentis in me superbiæ fructum. Cecidi, minimè casurus, si mitis fuisset, & humilis corde.

V.

DEbet is, cujus error aut vitium notatur aut corripitur, latâ humiliq; mente, & fronte hilari, verba monitoris excipere; non autem intempestivâ mœstitiâ, aut aliquo bilis atræ fomento animum contrahere. Etenim plus sæpè animo detrimenti asserere solet ipsa reprehensionis fuga, aut proterva excussio, quàm illud ipsum vitium, quod antè iure reprehendebatur.

VI. Vbi

V I.

Vbi Christianæ caritatis ratio id exiget, vt vir quispiam primarius sui erroris aut culpæ admoneatur, efficacioris erit solertiæ, si salubre monitum flexu quodam in personam aliam transferas. Hoc enim ille schemate suaviter ictus & eruditus, mali, quod in se deprehenderit, medelam facilius admittet: neque erit cur officioso monitori succenseat, quòd quasi magistrum agere ausus, virgulam apud eum censoriam temerè usurparit.

V I I.

Qui ad internam lucem pacemque proficere seridè cogitat, necesse habet vitiosæ calliditatis argutias, & celeres animi motus coërcere, vigilique modestiæ freno audaciora cohibere iudicia ratiocinativæ facultatis. Hæc enim, si habenas vel paululum laxes, adedè prona semper promptaque esse solet ad hominum dicta factaque aliorum accipienda, ut nec à divinis operibus aut oraculis discutiendis sibi censeat abstinendum. Ne igitur mens suis excogitationibus nimium credula, sui que captus prætergressa limites temerè efferatur & euanescat; operæpretium erit pravo atque invercundo isti acumini Christianæ disciplinæ compedes impingere; firmum ratumque habere, nihil ab optimo Deo fieri, quod ipsum non sit optimum; licet nobis, rerum sæpè & causarum ignaris, aliter fortasse videatur: aliorum quoque sententiæ, concordia studio, facilè cedere, libenter assentiri; partes eorum tueri, dictis favere, ab illis stare: & quæcumque ab aliis dicuntur aut fiunt, æquo animo accipere, & in partem optimam, quæ licet, interpretari.

Semper Magister morum edirigebat artem suam, ut intellectus nostri rationalem partem, quæ ad ratiocinandum & iudicandum naturam suam inclinatur, ab arrogantibus cogitationibus, & iudiciis, & ratiociniis cohiberet; ne quisquam in oculis suis sibi prudens videretur, & superbe saperet. Nam qui dat mentem suam

ad consultationes & propria iudicia facienda, secundum ea que sibi proponuntur, sibi ipsi prudentiam arrogat: & ubi quis incipit videri prudens, ibi incipit extollere oculos mentis; & ubi oculos per superbiam sustulit, ibi cadit à virtutibus, & in limbum vitiorum demergitur. Solent verò huiusmodi homines multum tribuere propriis sententiis, & pro earum defensione acriter contendunt, & discordant aliis, aliter sapientes. Deinde incipiunt iudicare aliena facta, & contra illa immurmurare, & sepe contra Præpositos, & iussu ipsorum oblatrant, & contumaces evadunt & inobedientes, & de seipsis præsumentes eò perveniunt, ut cuncta, que in Congregatione aguntur, velint suo iudicio magis quàm aliorum consilio determinari: quod genus superbiæ perniciosissimum est, & multis erroribus & illusionibus expositum. Hinc erumpit divisio inter Fratres, confunditur pax, frigescit caritas; & dum suam prudentiam omnia metiuntur, nimis proprio fidentes iudicio, sibiipsis placentes, facti magni in oculis suis, propriam statuendo iustitiam, ignorant eam que Dei est. Igitur ipse volens siccare fontem tot malorum, exercitabat quos noverat ad huiusmodi rationalia iudicia propensos, ut captivarent intellectum, deponerent proprium iudicium, aliorum facta non discuterent, sibi non crederent, omniaque in meliorem partem traherent: & nonnumquam his proponebat faciendam aliqua, que humanae rationi non videbantur consentientia, & proprio iudicio intellectus sui adversa; volebatque, ut sine propria consultatione, & sine intellectus reflexione, sese ad illa faciendam accingerent, quamquam rationalis portio remurmuraret: & ita sese contra singularitatem intellectus sui exercerent, donec apud se ipsos prudentes non essent, nec propria inniterentur sapientiæ, & per aliena facta & dicta, simplici & puro oculo pertransirent, nihil temerè iudicantes, nihil superbè sapientes, equi bonique, omnia ducunt; & cum factum excusare non possent, defenderent intentionem, consuescerentque semper magis aliorum, quàm proprio iudicio deferre.

VIII.

Quisquis suspensiones sinistras, temeraria iudicia, obloquia clancularia, & queribundas de proximo susurrations serio vitare volet; domi, id est apud se, adeoque in seipso habitet

habitet; neque censorem aut iudicem agat dicti, facti, moris aut vitæ alienæ.

I X.

DVcit ad metam via; & ad unam non una: at serîd cavendum nobis est, ne viæ vel eligendæ vel tenendæ sic immoremur, ut ad metam properare desinamus. néve adiuventis sive mediis sic adhærescamus, vt finis & scopi propositi obliviscamur. Magno igitur in errore versantur, seque ipsos miserè fallunt, qui cibi potusque abstinentiâ, ciliciis, multis longisque itineribus pietatis causâ susceptis, aut aliis laborum asperitatibus corpusculum dumtaxat affligunt; in quibus, velut omni pietatis officio bellè perfuncti, ceterà securi, conquiescunt, & velut gradum sistunt: ignari, frustrâ esse hæc omnia, si non per ista deturgere discat innatus homini superbiæ tumor; si non per ista à terrenarum rerum curis avulsi, ad salutarem Dei timorem, & promptam divinæ Legis observationem, atque ita ad ipsum Deum pleno defæcati cordis affectu diligendum colendumque trahamur ac traducamur.

X.

AD Christianæ perfectionis culmen aspiranti, obedientia via est rectissima, & quasi compendiaria; plurisque omnino hic habendus est, qui nutu ductuque alieno vitam pluribus obviam, & communi bonorum vsu probatam ac receptam vivit, quàm qui electione propriâ asperius aliquod & singulare vitæ genus sectatur. Est enim obedientia verissimum illud purissimumque holocaustum, quod in ipsâ cordis arâ Deo offertur. Magno igitur studio, in dè & conatu, si opus est, violento, exercenda est atque exhibenda; in iis etiam rebus, quæ vix momenti ullius esse videbuntur. Nam talibus velut præludiis exercitatus animus, ad obtemperandum deinceps etiam in arduis ac difficilibus promptior valentiorque evadit.

X I.

QVicumque viam Dei iam ingressi, in eâdem quoque magno animi sui fructu progredi serîd desiderât, eos oportet

tet Superiorum fidei ac manuactioni se, suiq; curam omnem plenè committere. At verò iis qui sui adhuc iuris & arbitrii sunt, nulliusq; sub regimine vitam agunt liberam, omnino convenit simplicissimâ fiduciâ ductum sequi periti ac prudentis Sacerdotis, eiq; tamquam voci Dei, & Dei vices gerenti sponte morem gerere. Ad eam normam quisquis vivit, intrepidus vivit, & futuri securus; vt qui suarum actionum nullam Deo iudici rationem sit redditurus. Et verò numquam finet Deus talem conscientix directorem eò erroris prolabi, ut quidquam præcipiat, vetet aut suadeat, quod saluti aut bono obstare queat verè pœnitentis. Est autem ductor ille conscientix perquàm maturo consilio ac iudicio deligendus; idq; nonnisi Dei ope & gratiâ crebris ac sinceris precibus imploratâ. Veruntamen ab eius sic electi directione resilire, nisi causæ omnino graves urgeant, ne-tiquam decet: quin & id temerè fecisse, multis sæpè nocuit. Videns enim invidus dæmon, non posse se hominem tali præsidio cinctum tutumq; in peccati foveam protrudere, id curat sedulò, ut pœnitens non nisi timidè ac diffidentèr, quidquid earum est rerum quas mente agitat aut versat, Sacerdoti palàm faciat. Quo diffidentix iniecto semine, magnam deinde, sed ductim & pauxillatim, infert animæ stragem.

X I I.

Dicto audientes ille habebit subditos, qui suadet opere multa, pauca præcipit.

Vera est ac sincera illius obedientia, qui præcepti rationem non disquirat: certus, nihil majus aut melius à se posse fieri, quàm quod præcipitur.

Eum qui sanctæ Congregationi nomen dederit, decet ad parendum esse promptissimum, & communi bono cetera postponere.

*S*vadebat S. PHILIPPUS suæ Congregationis hominibus, communi bono privatum qualecumque studium, adeoq; consueta pre-eum ac meditationum exercitia posthabere. Nihil quidquam in
Sacratio

Sacrario sibi propriè vendicare, non horam, non aram, non indumenta, non aliud quidvis peculiariter captare: sed potius quid è re fuerit aut voluntate communitatis, quòve loco aut tempore factò opus sit, ex eo qui Sacrarium administrat intelligere.

X I I I.

Divinorum Sacramentorum usus frequens, & bonorum consuetudo, pia desideria, nutriunt, augent, & confirmant. Ut igitur in Dei cultu, & sanctioris vitæ proposito fortiter & suaviter perseveres, nec ab eo sensim excidas; tibi studiosè sectanda est bonorum societas: horum enim assidua consuetudo, haud minùs quàm frequens Sacrorum usus mysteriorum, firmitatem animo dabit atque constantiam.

X I V.

Religiosæ Congregationi nomen daturò, in iis præcipuè rebus voluntas compescenda est, & subigenda, quas non nisi repugnanter admittit aut dimittit. Quò enim accuratiùs in hac domandorum affectuum disciplinâ profecerit, eò faciliùs in arrepto persistet instituto, & ad sanctioris vitæ metam feliciùs pertinet.

X V.

Qui propriâ voluntate decrevit inediâ, cilicio, flagellis, funiculis, aliisve spiritualis disciplinæ instrumentis corpus affligere; simulatquæ sacræ Confessionis ministro aliter visum esse cognoverit, mox eius monito libens cedat, credatquæ. Neque obtinendæ licentiæ studio nimium laboret de Sacerdotis iudicio in suam sententiam pertrahendo.

X V I.

Si quis Confessario, consuetam statis diebus Synaxim sinterdicenti, vel eam in tempus aliud differre suadenti, obtemperare noluerit; sed imperii sive moniti salutaris impatiens, sumendæ Eucharistiæ proposito præfractè adhæserit; is profectò non animi Deo verè addicti specimen hoc factò dederit; sed indicium potius obstinatæ atque induratæ mentis, quo nomine tanti Communionis mysterii indignissimus non immeritò habeatur.

X V I I. Non

XVII.

Non est divexandum corpus fame, vigiliis, flagellis, ciliis, aliisve eiusmodi cruciamenis, absque Sacerdotis conscientiae rectoris consilio aut permisso. Ista enim talia quisquis aliter, suoque arbitrato usurparit, aut valetudini & corporis sui constitutioni detrimentum inferet, aut superbiae spiritum induet, & inanem rei bene scilicet gestae persuasionem.

XVIII.

Eodem omnes, at non eadem via tendimus. Neque prudentis est animi directoris, idem à singulis exigere, & imparibus humeris par onus imponere; multò minus per easdem meditationum sive actionum exercitationes, quibus adductum se & adiutum ipse meminit, unumquemque pertrahere velle, ac perficere. Spectandae sunt vires, & ingeniorum mira varietas: ne, quibus robustior aliquis juvari erigi que possit, iisdem imbecillior alius lædatur aut prosteratur: sed neque cuilibet, licet ad optima in speciem anhelanti, aut facultatem flagitanti, statim, quidquid arridet, erit permittendum: quin potius utilissimum erit, solita quorundam exercitia consultò interrumpere; sive ad eorum ardentiores animos aliquam remissione laxandos, sive ad subigendum affectum illum à naturâ insitum, quo suis fortè decretis arctius adhærescunt.

XIX.

Quisquis Sacerdos, Pœnitentiæ Sacramenti minister, caligatus acceptæ potestatis haud satis memor, confitentium apud se obedientiam exigere atque exercere sive negligit, sive aliquo ad hominem aspectu subveretur; is certè neque rectè, neque ex usu facit; sed abutens sui honore muneris, sanctum laborem fructu præcipuo fraudat. Neque enim tam illi incumbit, ut multa molestaque onera pœnitentium corporibus imponat, quàm ut audacioris intellectus coërceat temeritatem, affectusque ipsorum indomitos paulatim divinæ reddat veritati credulos, & voluntati morigeros.

XX. Qui

X X.

Qui vitæ religiosæ institutū in eâ iam familiâ amplexus est, in quâ, morum antiquorum & Regulæ neglectu, vivitur vita licentior; si divini oris Spiritûs aliquem adhuc fervorem perferat ac retinet, nihil est cur ab hoc cœnobio ad aliud, captandæ severioris disciplinæ specie, transire debeat: quin potius in electo vitæ genere idcirco perseverare, quod statuerit Deus vel unius ipsius exemplo atque industriâ ceteris illius loci fratribus opitulari; atque ita univertum Ordinem in ordinem redigere, sensimq; mores priscos reducere ac stabilire.

SANCTVS PHILIPPVS NERIUS *suspectam habebat omnem mutationem; neque ei probabantur, qui, etiam spe melioris operis, aut perfectioris statûs, ab inchoato bono temere resilirent: quia stygius ille tenebrio, & vere lucis hostis, fœtâ sæpè lucem induit & ingerit, ut fallacis boni specie solidum eripiat bonum. Et verò istam in proposito firmitatem atque constantiam non à viris tantum religiosis, sed & à laicis quoque, seu secularibus hominibus exigebat; curabatq; sedulo, ne eorum, qui ad se vel conscientie levanda, vel spiritualis discipline causâ ventitarent, quisquam ab instituto jam arrepto, animi levitate, aut aliquâ novitatis illecebrâ decederet.*

X X I.

Viro religioso, qui ex eo loco, ubi cum spirituali multorum fructu habitat, ad alium ex obedientiæ lege transmittitur, absque ullâ cunctatione aut tergiversatione omnia sunt obstacula removenda, quantumvis planè & propè liquidis ipse coniciat argumentis, se non nisi magno aliorum bono eo fuisse loco permansurū; certum autem econtrâ & quasi perspectum habeat, se, quò ablegatur, vix illic salutis aut usui ulli futurum. Quid enim ex se statuerat Deus cum ignoret, id ex Superioris placito securius certiusque discet. Hoc indicat ipsemet Deus, se fructum illum, tantoperè speratum, aliunde quàm ab hujus hominis expectare industriâ.

L I

Hic

Hic enim non solum id spectandum, ratumne & gratum habeat Deus bonum istud quod prætenditur; sed hoc potissimum, cuius operâ, quâ ratione, quove tempore aut loco id curatum perfectumque velit. Sunt autem hæc talia nullâ certiore, quàm obedientiæ veræ trutinâ examinanda ac discernenda.

XXII.

Homini Christiano admodum fructuosa est delictorum apud Sacerdotem frequens accusatio. Hæc enim animam emaculat, sensumque perfunat, atque unâ vires eius reparat, auget firmatque ad spontaneam ac jucundam divinæ legis observationem. Die igitur peccatorum expiationi præstitutâ, haud facillè Confessio prætermittenda est, ne melioris quidem aliis in speciem rei gerendæ ullo prætextu. Et enim præmissis illo reconciliatæ gratiæ Sacramento, animus tranquillior factus, quidquid demum incumbet negotii, id omne eò facilius feliciusque conficiet.

XXIII.

Peccata apud Sacerdotem confitentes, ea primo loco enuntiare debent, quæ aut graviora videntur, aut quorum ipsos ex animo pœnitent, pudetque quàm maximè. Ita namque & superbo dæmoni major accidit confusio; & homini sic pudibundo ac verè pœnitenti utilior fit ipsa Confessio.

XXIV.

Vt coniugum duorum unus sit animus, & pacata familia, juverit, si uno eodem utantur animi directore seu Confessario.

XXV.

Qui post vitam longo iam tempore honestè ac laudabiliter transactam, peccato demum succubuit, non alio præstantiore, magisque præsentaneo remedio ad prioris innocentiae tranquillitatè reduci potest, quàm si ad solemne aliquod pœnitentis animi specimen edendum inducatur; ad eò, ut quidquid delicti patrasse dolet, modestè candideque retegat coram viris secundùm Deum amicis, quibus ob insignem

fignem vitæ integritatem hæc fiducia meritò debeatur : talem enim Deus sic ultrò prostratum pristino statui restituet, exaltabitque.

X X V I.

Morbo gravi afflictus, & lectulo jam affixus meritò hæc secum meditari debeat : Aurem ecce mihi Deus hoc morbo vellicat; neque jam dubium, quin, meâ offensus ignaviâ, maius aliquid à me suo jure deposcat. Hujus igitur ope & gratiâ, certum mihi nunc & firmiter decretum mutare mores, vitamque instituere meliorem. Est quippe Deo longè gratissima illius humilitas, qui se ne inchoasse quidem quidquam solidæ virtutis agnoscit. Quamquam & nobilioris modestiæ fuerit hæc confessio: Fugio deinceps, ô Deus, speciosas illas mutandæ vitæ, virtutisque sectandæ pollicitationes: ore quidem multa magnaque sæpè spondeo; re & opere nihil efficio: meis nempe viribus, quas imbecilles & verè nullas nunc experior, hætenus frustra fesus, frustra nixus. At jam verò, cum, præter malum, nihil à me possim effectum dare, age tu, Domine; de me ex animi tui sententiâ statue.

X X V I I.

OMni homini Christiano assiduum cum dæmone malo debet esse certamen. Tu si in hoc victor evadere desideras, vide ne quidquam tibi ab induciis oblatis, aut fucata securitatis specie promittas: certus, hostem nocere quàm maximè, cum lætioris ostentatione frontis blanditur, deque tuis votis etiam videtur esse sollicitus.

X X V I I I.

Nvllâ re faciliùs superbissimi dæmonis vel elides fastum, vel astum eludes, quàm spontaneâ tui demissione & cordis humilitate, quâ & teipsum homo homini perspicuè, simulque illecebras, quibus impugnaris, aperis, & animi conscii labes sacrâ Confessione detegis, lacrymisque detergis.

X X I X.

Insurgentibus tentationibus, atque hæc ista tuo animo insurrantibus; Reperto fortè marsupio auri pleno, quod, eu-

jus sit, non ignores, quid ageres? tunc aurum istud hero suo restituendum curares?

Aut, si eò loci infensum tibi hostem offenderes, ubi, ventante nemine, ac ne conscio quidem, penes te sit eum interficere; quid? an non tibi videris illum ita commodè obvium è medio sublaturus?

Aut jam denique, feminâ solâ tibi sic quoque occurrente, quid tibi tunc animi? Optimum fuerit tentationi sic simpliciter respondere: Ego quidem quid facturum essem, penitus ignoro; quid tamen factum mihi tunc opus esset, nunc scio. Nec sanè illius æquè bona esset responsio, qui se tantum nefas negaret umquam admissurum. Istud enim specimen quoddam exhibet exorbitantis fiducia earum virium, quæ nostræ non sunt.

X X X.

Quo tempore pio Dei cultori ab afflictione, solitisque animi molestiis cessatio aliqua sive induciæ dantur, ita ut, velut securus, nulli tunc injuriæ, nulliusque hostis incurfibus manifestè pateat; magnoperè juvabit, ardori pietatis excitando atque integrando, si malignum ac protervum quempiam sibi obvium cogitatione depingat; fingatque quidquid hætenus boni nominis ac famæ sibi quæsitum fuerat, id omne ab illius virulentâ linguâ, fœdissimis convitiis maculis aspergi ac dehonestari; neque verò his contentum nebulonem, atrocibus verbis atrociora quoque adiacere verbera; atque aded indecora à pugnis, à fustibus, à gladio vulnera, etiam in faciem infligere. Sic porrò tam male habitus, animum iniqui facinoris indignitate exasperatum inducat ad faciendam reo delicti gratiam, noxiamque hanc omnem, amore IESU CHRISTI atque exemplo, remittendam; atque ita animi motibus ratione perdomitis, omni que vindictæ affectu Dei amore sedato, studeat hæc licet fictas injurias, haud minore animi virtute, quàm veras condonare. Tali enim cogitationum usu, velut internis velitationibus exercita mens, assuescit mansuetudini; facilemque ignoscantiam discit. Non secus ac miles, qui ubi arti gladiatorie operam

operam dedit, manumq; jam frequenti prolusione tractandis armis habilem agilemque reddidit, eam demum quam didicit artem, in verâ ac seriâ cum hoste pugnâ naviter serioque exercet.

X X X I.

IN integrâ corporis & cordis puritate, verâque castimoniâ constanter permanere desideranti, mirum in modum proderit omnes dæmonis impulsus apud Patrem spiritualem expromere, etiam cum procul abest à culpâ: adversusq; illum etiam has ore minas gerere & intonare: Ego te, spurcissime, reum peragam ad sacrum tribunal; tuas ego sordes apud animæ meæ judicem producam prodamq;. Fugienda quoque illi est peccandi omnis occasio. Nec est cur quispiam fidentiùs apud se dicat: Hæc quidem femina est, sed mihi consanguinea, sed soror. Etenim diabolus, ut vaser est & versutus, & in Logicis argutiis versatissimus, id semper molitur, & non rarò efficit, ut, qui tentatur, sepositâ sanguinis ratione, feminam ut feminam, non ut sororem intueatur.

X X X I I.

SVnt verò libidinis illecebræ & carnis tentationes omnibus formidandæ ac fugiendæ; omnibus, etiam morbo aut senio propè confectis; & quamdiu oculos adhuc claudendi aperiendiq; vis & facultas aliqua superest. Nam spurcus ille fornicationis spiritus non loco, non tempori, non denique personæ ulli parcat.

X X X I I I.

PLerique dum corporeæ voluptatis stimulos aliasque tentationes patiuntur, anxie sæpenumerò dubitant, an ad oblectationem sensuum animi quoque consensus accesserit. Quisquis igitur sedatâ jam tentationis tempestate, oppositæ virtutis amorem pristinum, simulque vitii, ad quod instigabatur, conceptum jam antè odium adhuc animo retinet; certò sciat se illi quod fortè sensit illectamento, aut tentationi, minimè consensisse. Idemque prorsus de eo sentiendum, cui, an verè consenserit, adè non constat, ut istud juramento firmare non audeat. Nam de vero ac delibera-

to consensu facile est animo discernere , ac sententiam ferre .

XXXIV.

Tentationis vi jam victâ, aut ejus impetu desinente, non expedit curiosâ ratiocinatione disquirere de consensu: solet enim istud examen hostem antea fugatum quasi revocare, atque ita sopitum jam ignem de integro suscitare.

XXXV.

Qui castè vivit, eò alteri succensere aut indignari caveat, quòd in impudicitix labem aliquam prolapsus sit: hominis potiùs, ut homo, commiserescat: ne & ipse haud multò post in similem ruat turpitudinis maculam; atque ita superbiâ proprii inspectione probri castigatâ detumere discat.

XXXVI.

Iuniores, & experimentis adhuc teneris nitentes, ut impuritatis omne discrimen evitent, minimè debent, mox à refectis cibo viribus, sese in secretum cubiculum abdere, aliâsve solitudines sectari; seu legendi, seu scribendi, seu quidvis aliud agendi specie, sive causâ. Nam diabolus id temporis solivagum hominem vehementiùs, & nequioribus ad impudicitiam stimulis exagitat, quos dæmonium meridianum vocat Scriptura: à quo liberari Rex ille & Propheta optat, orat, obsecratque.

XXXVII.

Quisquis recenti adhuc devotionis insolitæ flammâ fervidus, nequedum sui periculum ullum fecit, sed neque sacri tirocinij specimen aliquod feliciter edidit, hunc nondum decet dirigendis aliis, & ab inolitâ pravitate ad meliora reducendis operam sumere. Optimum verò ei sit divinâ primùm gratiâ stabilire cor, seq; adversus hostilium tentamentorum insultus diuturnâ exercitatione armare atque animare; animum alienæ manuuctioni committere; firmâ denique fide credere, nihil dum se facti habere, sed vixisse hactenus inertem prorsus atque inutilem: ne alioqui neglectâ, ut assolet, animi modestiâ, in superbiæ barathrum miserandum in modum corruat.

XXXVIII. Præ-

XXXVIII.

Praestat, ut plurimum, aliquanto largiore quam parciore cibo corpus alere: si quid enim, in eo quod sumptum est, modum excedat, id facile, resumptâ sobriâ vitæ formulâ, corrigitur: verùm ubi nimiâ jam inediâ confectæ sunt vires, & corporis labefactata constitutio; vix ullâ deinceps alimoniâ aut medelâ ad pristinam illam temperiem reducitur. Tanti mali non ignarus humani generis hostis, eos præfertim, quos velle videt secundum Dei legem gratiamque vitam instituere, pietatis specie, ad corpus jejuniis & laboribus macerandum impellit; ut hac austeritate temerè susceptâ debilitati, reddantur impares muniis & oneribus certiore aliâs fructu subeundis; aut certè ut morbi molestiâ deterriti, consuetas virtutis actiones missas faciant, atque ab inîtâ veræ virtutis viâ turpiter gradum referant. Quocircâ, etiam sapientum judicio, pluris æstimantur illi qui carnem rationis moderamine castigantes, toti sunt in intellectu coërcendo, & voluntate humanâ divinæ subjiciendâ & conformandâ, quàm qui neglectâ animi curâ solum corpus adfligere contendunt.

XXXIX.

Est Dei seruo patientia perquam necessaria; nec est cur animo cadat, rebûsve asperis tangatur aut angatur nimium: dura quæque potiùs divinæ consolationis fiduciâ fretus fortiter ferat. Quem enim Deus affligi finit, haud multò post cumulâtè solatur ac remunerat. Neque aliud est hominis Deo dediti vita, quàm consolationis internæ, & vexationis semper alternata vicissitudo.

XL.

Devotam Deo mentem decet ad tristia æquè ac læta esse paratam; nihiloque avidiùs consolationum mella degustare, quàm earum subtractionem aut dilationem tolerare.

XLI.

Hominem tædio subinde affectum, & sensuum importunis appetitionibus exagitatum haudquaquam decet
animo

animo cadere. Nam quâ nos potissimum virtute donare vult Deus, atque induere, eam ipsam adversi representatione vitii, atque illecebris probare consuevit; ut, subactò longâ colluctatione vitio, virtutem variè diuque agitatam tranquillè tandem placideque possideamus.

X L I I.

VIta humana vel infernus est vel paradisus. Nullus hîc purgatorio relictus locus: etenim afflictiones atque ærumnas æquo animo & patienter accipientibus, cælum est; ceteris, non nisi repugnanter ferentibus, infernus.

X L I I I.

EI qui afflictionem seu crucem suis humeris, à Deo benignè impositam non satis æquo fert animo, meritò dici possit: Tu quidem haudquaquam dignus eras, quocum tam benignè Deus ageret, & quem tanti beneficii honore dignaretur.

X L I V.

Nihil æquè animum inducit ad mundi hujus & humanarum rerum despectum, atque frequenter angî varieque vexari. Sunt verò illi miseri iure censendi, qui ab hujus scholæ disciplinâ excluduntur.

X L V.

Sciscitanti quæ crux aut quæ tentatio fideli Dei seruo gravissima ac molestissima videri debeat; paratissima fuerit responsio; Gravissimam tentationem crucemque esse hanc; crucis ac tentationis diu expertem vivere.

X L V I.

TAntò major elucet in homine Dei amor, quantò majore exardescit desiderio aspera quæque ac dura tolerandi; idque non aliâ quàm istius amoris testificandi causâ.

X L V I I.

TIronem, & rudem adhuc in re spirituali discipulum oportet Angeli primùm vitam vivere, ac deinde hominis: adeò pro Dei more fit, ut hæc vita illi, & huic illa, cessione & successione vicariâ, sufficiatur. Nam in ipsis spiritualis vitæ primordiis pascit Deus animam dulcioris lacte spiritûs,

spiritus, ei que supernae consolationis caeleste quoddam ne-
 etar instillat; ut eam castissimis illis deliciis illectam, sensim
 à curis studiisque terrenis deglutinet, abjungat atque divellat.
 At, subductâ deinde manu, eam ablactat, & intra puros hu-
 manae naturae limites destituit; quod probetur, quam robusta,
 quamque solida sit eius virtus: num seipsam in conflictu
 naviter juvet, urgeatque, velut ab omni aliunde spe atque
 ope divinâ propemodum derelicta; quamvis eam Deus
 numquam deserat. Vbi verò aliquamdiu validè viriliterque
 restitit, molestiasque omnes, & blanda malorum irritamenta
 pugnando & fugiendo pervicit; duplicat Deus, augetque
 quas antè subtraxerat caelestium solatiorum suavitates: at-
 que ita homo Angelum in terrâ referens, in mediis labori-
 bus & molestiis, velut absque ullo laborum ac molestia-
 rum sensu vivit.

X L V I I I.

CVM quis insolitum aliquem novi spiritus ardorem ex-
 peritur, is tunc animum seriò componat, & ad tenta-
 tionis imminentis & crucis ferendae patientiam se praeparet:
 atque interim, dum fervet adhuc spiritus, robur à Deo gra-
 tiamque postulet, quâ adiutus, placido animo ferat quid-
 quid caelitus fuerit decretum; petatque, ne ulli vel levissi-
 mae culpae, tentationis importunitate victus, umquam suc-
 cumbat.

X L I X.

DEI servus suscepturus gloriosum Corpus Domini IESU
 CHRISTI, in quo reconditae latent caeli deliciae, Dei
 in se timorem excitare debet, seque etiam solito diligentius
 armare atque animare adversus imminentium tentationum
 insultus: sunt enim magnifica munera quae per hanc myste-
 ria DEUS homini confert; sed ad laborem & pugnam, non
 ad securitatem inertis otij, quod divina Gratia non minùs
 exhorret, quam Natura vacuum. Eapropter & iunioribus, &
 Christianae militiae disciplinâ atque experienciâ nondum
 eruditis, haud sanè convenit frequentior ad hoc tremen-
 dum ac suspiciendum Sacramentum accessus.

M m

L. Ægri-

L.

Ægritudines, calamitates, ærumnæ, & quæcumque molestia hanc miseram vitam infestare solent, neque formidanda nobis sunt, neque fugienda; sed patientis animi robore superanda. Si enim vel unam miseriam aut crucem effugeris, mox in aliam, eamque graviolem, incurres. Nam qui timet pruina, irruet super eum nix; & ursum fugienti occurret leo.

L I.

Nequaquam rogandus est DEUS, ut cruciatuum molestiis, divitiarum aut deliciarum illecebris, aliisve id genus tentamentis nos adoriatur & exercent; quasi ferendis istis ac superandis pares simus. Modestâ potius fiduciâ petenda est ab eo facultas & facilitas, quâ id omne læto tranquilloque animo toleremus, quod fidei nostræ explorandæ causâ nobis evenire permiserit.

L I I.

Homini nihil oratione utilius; quâ cessante, nulla spes est diurnæ constantiæ in semel inita spiritualis vitæ viâ. Est igitur nobis hoc salutare mireque efficax orationis exercitium quotidie usurpandum: sed ex eius tamen sententiâ & consilio, quem penes est conscientiæ nostræ sacra secretaque inspectio, arbitrium ac directio.

L I I I.

Nihil est quod magis aversetur ac reformidet humanæ salutis hostis, quàm orationis assiduitatem; nihil, quod majori contentione vel impedire, vel interrompere conetur.

L I V.

Homo negligens studium divinæ orationis, animal esse videtur expers humanæ rationis.

L V.

Fuit hoc in more positum, institutoque Majorum, ut qui se totos, suaque omnia divino cultui devovissent, breves aliquot ad Deum preces semper in promptu haberent, quibus, velut ignitis jaculis, cælum per diem subinde peterent; atque

atque ita mente à sæculi fœcibus studiisque paulisper abductâ, ad Dei contemplationem continuè & sine frustratione adspirarent. Hanc orandi formulam sequi quisquis in animum moremque induxerit, is fanè vel modico labore fructum faciet, hominum fide & spe suâ longè majorem.

L V I.

QUAMVIS DEUS vota precesque nostras, quibus aliquod gratiæ donum postulare jam cœpimus, velut aure surdâ præterire aut procrastinare videatur; non idcirco nobis de orationis ardore quidquam remittendum est: sed id curandum potius, ut quod beneficium orationis initio sequebamur, id ipsum orationis constantiâ ad extremum assequamur.

L V I I.

PLA & constans ad Deum oratio numquam absque fructu aliquo funditur. Sæpè tamen ad tempus fructus iste latet; patet verò, patetque tandem, cum Deo ita visum; & sensui quoque orantis se insinuat, imò menti: cui magna tunc & mira oboritur tranquillitas, & placidissimi affectûs insolita quædam suavitas, divinæ munificentix aut benevolentix saltem index; atque adeò beneficii si nondum impetrati, voti certè jam exauditi testimonium.

L V I I I.

VBI spem vel initium aliquod optati beneficii videmur oratione consecuti, non priùs ab orando cessandum nobis est, quàm speratâ illâ gratiâ plenè potiamur. Solet enim interdum DEUS inconstantiam nostram, & precationis intermissionem ostensæ beneficentiæ dilatione castigare. Cùm igitur æger aliquis, pro cuius salute Deum precari cœpimus, meliusculè jam habet, haudquaquam remittendum est orationis studium. Quæ enim valetudo orationis ope reflorescere potuit, ea eiusdem assiduitate & constantiâ suam assequetur maturitatem, atque integritatem obtinebit.

LIX.

Efficaces ad Deum preces dirigere cupienti, initio necessaria est humilis animi profunda demissio, quâ se prorsus indignum agnoscat, qui coram tantâ Majestâte vel apparere audeat. Atque ita suæ miseræ atque imbecillitatis memor, & velut ad nihilum redactus, divino præsidio atque illustrationi totum se committat; à quo deinde quid, & quo modo orare debeat, pleniùs erudietur.

L X.

ANimus Christianæ disciplinæ patientiâ eruditus, humiliq; obedientiâ subactus, & sui propè jam victor, est ad orandum Deum optimè comparatus. Quisquis autem ad familiarem illum cum Deo sermonem vehementer adspirat, dominante adhuc opinionum atque affectuum turbâ, is irritò sanè conatu laborat; facitq; etiam nimis agendo, ut nihil agat. Nam ut avicula suis nondum alis accincta implume corpusculum humo tollere, & ad volandum in aëra librare frustra tentat; ita indomitus, suiq; haud satis compos animus, incassum assurgere nititur ad rerum cælestium contemplationem.

Idcirco S. PHILIPPUS NERIUS sciscitanti quænam optima esset orandi ratio, hoc solum respondit: Corde tantum humilis esto, & dicto audiens, & te Spiritus sanctus nobilissimam simul & paucissimis cognitam orandi methodum docebit.

L X I.

ORantem vehementer interdum commovent ac percellunt occurrentium imaginum spectra; quorum importunitate victi plerique ab incepto desistunt: malè quidem istud, & parum prudenter. Est enim orationis institutæ series, despectis istorum phantasmatum ludibriis omni animi conatu continuanda. Solet quippe DEUS optimus, ea bona quæ donare justè sapienterque distulit, supplici demum perseverantiæ, vel horæ momento, benignè largiri.

LXII. Qui

L X I I.

Qui Deum vero ac sincero amore diligit, ejusq; sacrosanctam legem, opem, atque internam operationem rebus omnibus anteponit; orationis interdum tempore perfert lacrymarum aliquem defluxum, & cum novo cælestis gratiæ concursu tantam spiritualium suavitatum degustat abundantiam, ut exclamare cogatur, Domine dimitte me.

L X I I I.

Qui divinæ consolationis influxu destitutus, nihil præter cordis ariditatem ac sterilitatem spiritûs experitur, pauperis ac mendici se coram Deo instar habeat; & eâdem quâ mendici alii solent habitûs atque affectûs simplicitate nunc ad hunc, nunc ad illum Divum quasi tutelarem confugiat, stipem ab illis spirituales emendicaturus. Iuvabitq; interdum hoc ipsum non mente solùm, sed externo etiam opere perficere, & reipsâ Sanctorum quædam adire templa, ibique eleëmofynæ nomine calamitatis internæ solatium aliquod suppliciter postulare.

L X I V.

Oculos intentiùs defigere in imaginem præsentem & sensim noxam afferre possit. Picturam tantùm obiter, & excitandæ memoriæ causâ inspexisse sufficiat, qualecumq; nostræ salutis monumentum ea referat. Si verò eorum, qui inter Cælites sunt relati, effigiem aliquam tabella repræsentat, eò nobis simplex ejus aspectus valeat, quòd illustria virtutum exempla, quibus illi olim in Ecclesiâ Dei claruerunt, in mentem revocet; stimulumq; addat ad eorum sectanda vestigia, opemque implorandam.

L X V.

Sanctorum dicta & facta, diligenti lectione observata, hominem egregiè præparant ad benè & cum fructu orandum: suntque tunc vel maximè volvenda animo, cum ad ea suapte sponte fertur. Vbi verò magis ad considerationem trahitur vitæ & cruciatuum Domini nostri IESU CHRIS-

STI, juvabit pio affectui ceu divino afflatui obtemperare; idque solum meditari, quod instinctus mentis & cordis ardor repræsentarit.

L X V I.

VItæ Sanctorum ut cum pietatis aliquo sensu & animi fructu legantur, non vanâ sciendi cupiditate, aut præcipiti affectu legendæ sunt; sed paullatim, sed tranquillâ & sedatâ jam mente. Atque ubicumque lector pœnitentiæ salutatis aculeo tangetur, sentietque se solo rerum æternarum capi aut rapi desiderio, illic juvabit clauso codice, & abrupto sacre lectionis cursu gradum sistere, & devotionis ardorem, ac spiritûs accensi dictamen interim sequi; donec eo defervescente liber ac lectio resumenda videatur.

L X V I I.

INter alia à Deo precibus petenda, non parum eminent perseverantia in obsequio divino, & pietatis exercitationibus. Cui enim neque rerum humanarum tolerantia, neque constantia in melioris vitæ proposito defuerit, hunc tandem DEUS magno sui spiritûs ardore succendet.

L X V I I I.

Pietatis externa species interdum fallit; nec internæ devotionis indubitata habet significationem: sed neque lacrymæ clara signa sunt religiosi ac Deo devoti affectûs. Ecquis enim feminas eò sanctas duxerit, quòd semper in promptu lacrymas ac velut venales habeant?

L X I X.

Spiritualis vitæ studiosis admodum periculosa sunt visionum divinarum seu revelationum desideria: multos enim cupiditatis istius vanitas in horribilis nequitie ruinam ad extremum abripuit.

L X X.

AD virtutem id quoque pertinet, omnem vitare speciem singularitatis; & nolle videri esse, aut posse, aut facere quidquam præ ceteris.

Fuit

Fuit S. PHILIPPUS NERIUS suae istius doctrinae cultor & custos admirandus: adeo ut ceteris in hoc genere sui temporis hominibus antevertisse, ac palmam praeripuisse videatur. Nam eximia natura & gratiae dona, quae Deus illi cumulatissime contulerat, eam solertiâ celare aut velare didicerat, ut ne iis quidem pateficerent, quibuscum assidue & familiariter versabatur: nisi quod interdum, praeter votum atque opinionem, de lucis illius internae fulgore velut quidam radius emicaret. Neque enim sic semper potuit latentis gratiae dissimulare lumen, quin aliquid transluceret; ut in lampade fit, quae lucernâ obducitur. Serio itaque cavebat, ne loquelâ aut vestitu affectato, aliisque externis indicibus solidum illud ac singulare sanctimoniae studium palam faceret: ea potius dicere ac facere solitus, quae vel imperitiâ vel imprudentiâ speciem aliquam haberent, quod talis ipse quoque apud homines haberetur. Nec verò apud viros generis nobilitate, aut doctrinae famam celebres, ad se honoris & alloquii causâ ventitantes, quidquam de caelestis illius sapientiae fonte promebat; sed earum potius exhorrescebat rerum mentionem, è quarum commemoratione laudationis aliqua materies nasci posse videretur. Non igitur magistrum agebat sacrae & spiritualis doctrinae; quin potius trita atque vulgaria loqui amabat, & passim obvia. Atque adeo earum tractationem rerum, quae ad spiritus notitiam aut directionem spectant, apud homines praeceptis talibus jam imbutos, serio & datâ operâ vitabat: assuetus, non nisi apud candidas docilesque mentes de arctiore illâ Christiana vitae semitâ familiares miscere sermones: ubi nimirum spes fructus & messis uberioris adesset; abesset autem inanis gloriae omne periculum. Enim verò fixum illi ratumque erat, apud magnos praesertim viros abiicere sese, & cuiuscumque nominis vel auctoritatis omnem sibi opinionem adimere. Idque eâ dexteritate moliebatur, ut quem ipse ad scopum collinearet, ne perspicacissimo quidem ingenio liceret suspicari. Quae profectò maxima est virtus, & Romae, si uspiam alibi, perquam necessaria; ubi in mediâ hominum luce vivitur; ubi animi internas opes prodere, vix sanè aliud est, quam perdere.

Verùm ad institutam salubriam illius monitorum viam, unde digressi sumus, revertamur.

L X X I.

Raptus, extases, fusæ in propatulo lacrymæ, & id genus alia, non immeritò suspecta habentur. Gratia enim secretum amat, & solitudinem cordis; nec nisi plurimum bono seipsam prodit. Natura autem corrupta suam amat ambitq; excellentiam, eoq; apparere affectat, & videri. Viris igitur Ecclesiasticis omnis exterior pietatis ostentatio præcipuâ curâ fugienda est; cum ne superbiâ ipsi efferantur, sibiq; placeant, tum ne præsentibus simulatæ pietatis aliquam ingerant sive ingenerent suspicionem.

L X X I I.

Vbi quis interioris gratiæ donum aliquod singulari Dei liberalitate consecutus fuerit; id sibi soli habeat, secretumq; servet: mox enim id ipsum facile perdet, si prodatur, & foras temerè producat.

L X X I I I.

Turpis quidem, meritoq; fugienda res est, gloriationis vanitas; sed hujusce vanitatis vana quoque est illa formido, quæ pusillum avertit animum à generosâ aliquâ pietatis & operum bonorum exercitatione. Nam levis ille gloriolæ sensus nihil de actionis honestæ merito tunc decerpit, quando non tam eius auctor, sive dux est, quàm comes: quamquam arctior illa lex Christianæ perfectionis, virtuti gloriam dumtaxat ancillari permittat, non autem comitari.

L X X I V.

Qui bonum aliquod opus exegit, si deinde quispiam alius istius sibi facti gloriam furtim adscribat, est sanè cur bono ac læto sit animo, idq; haud mediocri beneficii loco ducat, quòd tantillum humanæ laudis alienâ sibi fraude præripiatur: eam enim cumulatiorè mensurâ apud Deum judicem recuperabit.

L X X V.

Quærenda sanè nobis est eruditio & doctrina; sed studio neque curioso, neque admodum anxio. Si quid verò est, quod jam plenè forsan didicimus, discamus illud ipsum

sum non vanâ aliquâ ostentatiunculâ producere, sed alto modestoque silentio tegere potius ac celare: atque ita efficere, ut conscientiæ scientia seruiat, & virtuti ac vitæ secundum Dei voluntatem instituendæ doctrina ancilletur.

L X X V I.

Hoc uno magnoperè fugienda sunt vana conscientiæ terriculamenta ac scrupuli, quod animum suâ pace exuunt, & inutili mœrore dejiciunt.

L X X V I I.

Quorum adhuc animos exercent ac probant scrupuli, & formidolosæ anxietudo conscientiæ, suo illi iudicio sive opinioni debent omnino diffidere, directoris audire monita & exequi, nullâ umquam arte aliâ persanandi: ferias breves, & paucorum aliquot dierum inducias fortean habituri; numquam veram stabilemque pacem.

L X X V I I I.

Conscientiæ scrupulositas ut superetur, spernenda est. *Idcirco solebat S. PHILIPPUS iis, qui hac agitudine tenerentur, frequentiore Confessione interdicerere; quò sensim discerent occurrentium scrupulorum terriculamenta pro nihilo ducere. Quin & pro more habebat, plerosq; sic affectos ad sacrosanctam Synaxim mittere, etiam inauditos. Ab isto quippe morbo interdum inducias quidem esse aiebat, vix pacem: sed eum ipsum non aliter, quàm animi humilis demissione superari.*

L X X I X.

Animi vires pietatis uni studio destinatæ nimiâ tristitiâ languescunt, & inquietâ sciendi, habendi aut agendi curâ dissipantur: tranquillâ autem lætitiâ, & moderatâ alacritate vigent, aluntur, & crescunt. Plenum illud liberæ mentis gaudium, homini virtutis ardua sequenti calcar addit, & assequendi spem animat, armatque facilitate constantiæ. Tu Dei verè amans, atque ideò virtutis studiose, noxiam animo tristitiam abjice, conscientiæ pacem, & amicam pietati alacritatem omni & uno affectu sectare & custodi.

N n

LXXX. Fi-

Fidelem Legis divinæ observatorem omnino decet lætitia illa verè Christiana, & demissi animi temperata quædam alacritas: sed eum tamen oportet diffusionem nimiam, & scurrilitatis omnem speciem studiosè diligenterq; vitare. Etenim qui vel procaci dicacitate, vel moribus ad auram popularem factis, siue fictis delectantur, haud umquam capaces futuri sunt divinius spiritûs, & internæ illius lucis. Eminere in istis & emicare fortean possint nonnulla in speciem bona, & aliquot felicioris naturæ dotes; sed quas paulò post inaniter ventilent, & absque solido aliquo fructu foras proferant ac producant; imò prodigant in brevi, perdantq;.

L X X X I.

Multùm ille in virtutis viâ promovit, qui propriæ voluntatis appetitiones domare didicit, & impotentis animi affectibus dominari. Hanc verò disciplinam qui nondum assecutus est, neque ejus assequendæ studio tenetur, is mille perniciosarum suggestionum fontem ac fomitem pectore inclusum gerit. Huic proinde homini proclive admodum erit tacite secum stomachari, caritatis infringere leges, amicitia vincula dissolvere. Rara huic erunt & interrupta gaudia, rara mentis ac frontis serenitas; sæpè etiam irrequieti animi triste nubilum vultu quoque palàm faciet: sæpè mœstus; & ut plurimum sibi aliisque molestus, de iis quæ sibi foris acciderint, mirum sæpè ac miserum in modum discruciat. .

L X X X I I.

Pestis est homini, præsertim Christiano, desidia. Nihil enim cuiquam æquè perniciosum est, atque inertis otii amor, & laboris honesti fuga ac tædium. Honestâ igitur atque utili semper actione occupandus est animus: ei maxime, qui cellula latebris inclusus, optatæ solitudinis quiete perfruitur. Iuvet hîc pios libellos manu ac mente pertractare; Sanctorum Vitam ac virtutes contemplari; sacra Scripturæ codices legendo pervolvere; Deiparam Virginem verbis Angelicis identidem salutare; cubiculum, lectulum,
libros

libros componere, aut quidvis aliud utiliter acsitare; ne fo-
cordem aut malè otiosum hominem prædo tartareus de-
prehendat.

L X X X I I I.

IN omni virtutis actione inchoandâ aut perficiendâ, fu-
gienda est tarditas & procrastinatio: omni enim momen-
to mors accelerat. Et verò ille felix, cui etiam adolescentu-
lo, aut juveni, magno Dei munere rei benè gerendæ tem-
pus suppetit, & occasio optimè de Deo & Ecclesiâ prome-
rendi.

L X X X I V.

E Arum curationi rerum, quæ ad nos ipsos propriè spe-
ctant, nihil tunc quidem loci aut temporis tribuen-
dum est, quando fraterna inopia nostrâ ope vel operâ præ-
sentaneâ opus habet. Qui enim, ut indigenti proximo suc-
currat atque opituletur, impetum cohibet animi aliàs ad
quæcumq; alia properantis, etiam ad solitum precandi mu-
nus; hic quidem Dominum IESUM relinquit, sed ejusdem
ipfius amore relinquit: quæ magna est animi virtus, paucis
admodum nota, paucissimis usurpata.

L X X X V.

S Vnt, qui agendorum, seu legendorum graviore quadam
sarcinâ sese paulatim onerant, & tantum non obruunt:
plures Angelicarum Salutationum coronas, atque unâ pre-
ces horarias tum Virginis Matris venerationi, tum mortuis
piè juvandis dicatas, aliaque id genus religiosæ devotionis
officia sibi præscribunt: quibus omnibus pro hujus aut il-
lius salute ritè atque attentè peragendis se totos, & temporis
ad alia destinati partem optimam mancipant: quæ etsi sin-
gillatim optima esse possint, sic tamen cumulata adeò super-
fluunt, ut non nisi gravatim quotidie perficiantur. Quo fit, ut
quæ præcipua est mentis & cordis oratio negligatur, adeoq;
& illa ipsa toties verbotenus recitata, semel ac simul tandem
ab animis fatigatis, & longo jam tædio victis abjiciantur.
Huic malo ut obviam eatur, moderatis exercitationibus

alenda est interna cordis devotio, nullo deinde die, quoad licebit, intermittendis.

L X X X V I.

Non omnia die uno sunt peragenda. Neque ad sanctimonix fastigium quatruido pertingendum: sed ab infimis ad summa perdetentim & velut per gradus eundum.

L X X X V I I.

Haudquaquam superbiæ tribuendum est, quodd alium, quamlibet sanctum, etiam sanctitate superare contendat. Qui enim sanctus esse studet, nihil aliud profectò desiderat, quam Deum amore summo complecti, atque honore præcipuo venerari. Atqui tam nobile desiderium, si fieri posset, etiam in infinitum deceat extendi; cum immensæ Dei majestati amor quoque immensus, honorque infinitus debeatur.

L X X X V I I I.

Difficilius frenantur qui nimia & seipsis majora moluntur, quam exstimulentur ii, qui pauciora & minora conantur.

L X X X I X.

Magna virtus est, & rarum hominis decus, animus prudens, idemque decori amans & aureæ mediocritatis; qui que intra recti honestique, limites se suaque continet. Hujus virtutis inopiâ extrema plerique audent; illi præcipue, qui nondum posito spiritualis disciplinæ tirocinio, corpus inediâ præter modum macerant, cilicinâ veste, & flagris excruciant; super nudâ humo, durisve asserculis somnum capiunt; & integras subinde noctes orando transigunt; atque ita, viribus nondum exploratis, durum ac rigidum vitæ genus suscipiunt: quod quia gratiæ cælitus acceptæ modulū excedit, fit tandem, ut animi corporisque viribus casso labore detritis, ne levioribus quidem rebus aut muniis deinceps obeundis sufficiant.

X C.

Qui curando ægro dat operam, eum Christi Domini loco habeat; sibi que persuadeat, quidquid obsequii mor-

morbido illi præstat, idipsum præstare se Domino IESU: tali enim stimulo incitatus, & impensiores exhibebit caritatem, & pretium operæ multò majus faciet.

X C I.

PResbytero ægrotum, & salutis incertum, opitulandi causâ invisenti, studiosè cavendum est, ne vatem agat; néve de illius desperata valetudine sententiam dicat: ne, ut fit, ægro postea convalescente, vani vaticinii memor, atque pœnitens, redditam proximo sanitatem iniquiore animo ferat.

X C I I.

Bona Ecclesiastica, Christi sunt hereditas & patrimonium: ideoque haud temerè profundenda, sed parcè admodum, & ex lege dumtaxat necessarij honestique usus infumenda.

X C I I I.

Bonorum sectator temporalium, numquam ea quæ Dei sunt mente percipiet, nec esse aut verè dici poterit homo spiritualis. Tu igitur ut mente liberâ clarâque penetres quæ sunt Spiritus Dei, vitamque ad ejus dictamen componas, affectum exue, curâque & studio abstine rerum caducarum.

X C I V.

NVlli omnino rei externæ, quantumvis minimæ, affectu adhærendum. Sed enim inter homines aliâque sensuum objecta planè nudum esse decet Christianum, optareque ad eam rerum omnium inopiam redigi, ut sibi manum ad stipem ostiatim porrigenti non sit qui vel quinque semisses tribuat.

X C V.

QVæ anima totam se Deo tradidit, tota est Dei. Et verò omnis ille amor, quem quis parentibus, carni, sanguini, sciendi studio, aut sibi ipsi denique tribuit; Deo, qui solus illo amore dignus est, universim detrahitur.

X C V I.

Possent decem homines, à privatorum commodorum affectu soluti ac liberi, orbem hunc universum à vitio-

284 S. PHIL. NERII MONITA ASCETICA SELECTA.
rum consuetudine ad verum Dei cultum atque amorem
convertere.

X C V I I.

Qui aliud quàm Christum desiderat, idipsum quod de-
siderat ignorat. Qui aliud quàm Christum petit, nescit
quid petat. Nescit eorum quidquam quæ facit, qui alius
quàm Christi amore aut causâ quidquam facit.

X C V I I I.

EA profectò anima benè habet, faciliq̃ ac felici manu-
ductione dirigitur, votorum ac successuum planè secu-
ra; quæ se suaq̃ cuncta divinæ voluntati volens libensq̃ue
resignavit tradiditq̃ue. Nec verò quidquam est, quod ho-
minem suæ consciùm imbecillitatis magis deceat, quàm li-
bera illa sui oblatio, cessioq̃ue integra, Deo hisce aut simili-
bus verbis subinde testificanda: Domine, etsi me hæcenus
inutilem vixisse doleo, tuæq̃; bonitati usque ad eò ingratum,
ut nihil dum facti habeam, quo mea in te constent officia;
quando tamen visum nunc tibi me mundo ereptum evoca-
re ac suscipere, ecce me paratum: nutu & arbitrio tuo vivo
& morior: de me nihil aliud, quàm quod tibi gratissimum
fuerit, fiat.

X C I X.

ANimæ vitanti cuiusque vitii labem, etiam levissimam,
faciliq̃ue veniâ dignam (ô æquè magnum atque ra-
rum Dei donum!) nihil sub cælo gravius acerbisq̃ue pos-
sit accidere, quàm quòd in hoc corpore morti obnoxio
claudi diutiùs constringiq̃ue debeat.

C.

Svis cultoribus admodum benignus esse solet DEUS; eos-
q̃ue, ne improvisò atque imparati ex hac vitâ decedant,
vel signo aliquo præmonere, vel insolito suæ caritatis igne
ad optandam obeundamq̃ue lætâ promptâque mente mor-
tem animare.

F I N I S.

A.
rem
de-
escit
alius

anu-
ecu-
sque
ho-
m li-
mili-
enus
tum,
ficia;
voca-
vivo
num

nam,
e ra-
pof-
oxio


eof-
lant,
igne
mor-











Waterloo



Monita
p. 1111



Th

2657